


PASSIO DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI
Actu Oratorio,
In Schola Senatoria Stetinensi
à XIV. Adolescentibus
ANNO CIↃ. IↃC. XXXV.
XVI. Kal. April.
IN AUDITORIO MAJORE
Moderatore & Rectore
M. JOH. MICRÆLIO
expressa,
& iis
Qui inter alios perorantibus
aures faciles præbuerunt,

Illustri & Generoso Domino,

Dn. Carolo Christophoro
Sedlznitzky, à Coltitz,

Virisq; admodum Reverendis, Amplißimis, Excellentissimis, Consultissimis & Clarissimis

Dnn. D. JAC. FABRICIO, Pom. Orient. Superindenti & Pastori aulico,

Dnn. PAUL. FRIDEBORNIO, Reipubl. Stet. Consf. & Consiliario Regio,

Dnn. D. CHRISTOPH. SCHULTETO, Past. Jacob.

Dnn. D. LAUR. EICHSTADIO, Physico & Mathemat.

Dnn. DAN. VVASSERFHURERO,

Dnn. JAC. VVINNEMARO, Diaconis Jacobæis,

Dnn. BALTH. COLERO, ad D. Johannis Pastori,

Dnn. GOTHOFR. JONÆ, Patricio Uratisl. Commissario quondam regio,

Dnn. MICH. NEUMANNO, Camerario,

Dnn. CHRISTIANO LANGIO, Senatori & Dicasteriorum Advocato,

CL. etiam Scholæ nostratis Præceptoribus,

M. DAN. LANGIO, designato Pastori Petrino,

M. MATTH. GEIGERO, Pastori quondam Coloniensis Ecclesiæ Lutheranæ, nunc exuli,

M. SEB. VVOLFGANG. HOPPENERO, &

Dn. CHRISTOPH. HOFMANNO, J. U. Candidato,

Sacrata atq; dicata.

Non

A

NOn erat animus, oculis legentium ſubijcere, quæ ſuperiori ſeptimana Diſcipuli mei de Paſsione Servatoris noſtri Auditorum animis inſinuaverunt: Auribus enim ſæpe ſcio placere, quod oculi accuratius intuentes ſenſu faſtidiunt teneriori. Quum tamen Ephoro Scholæ noſtræ primario, Ampl. Dn. PAULO FRIEDEBORNIO, Conſuli hujus Reip. cui alioquin non niſi exquiſita robuſtorum oratorum eloquentia arridere ſolet, propter materiæ, credo, ſanctitatem, ita meorum filiorum (ſic diſcipulos cenſeo) conatus ſint probati, ut ſibi dictorum copiam fieri vellet, non calamis ductu inæqualiori ſæpe oculos fugientia verba exarantibus, ſed mundo & fœcundo æneorum charactere typorum deſcribere omnem actum Oratorium curavi. In quo quanquã nihil ferè meũ eſt, niſi breviuſcula Thematum diſpoſitio & aliqualis craſsiorum, quæ Juventuti rudiori familiaria ſunt, erratorum caſtigatio, meis tamen auſpiciis patiar hæc Rhetorica meorum pericula lucem videre publicam: in quibus neminem offendat velim, aut ſtyli inæqualitas, aut neglectior in multis cura, aut abjectum dicendi genus. Plures ſunt, qui loquuntur, nec eiusdem vel ætatis vel profectus. Noviſtis id, qui loquentes audiiſtis, Audiiſtis autem, quantumvis nonnunquam

hæsitantes, tantâ cum patientiâ, tamq; tacitâ divinorum mysteriorum sub perorantium verbis latitantium meditatione, ut nemo vestrum continuis quatuor horis, non sine profunda animi hujus mei oblectatione, vel loco se moverit, vel verbum non perceptum transmiserit. Placeant igitur jam vobis, VIRI, scripta, quæ placuerunt nuper perorata. Et ne displiceant, facturos vos scio, qui inter reliquos prodire vidistis ad dicendum filios, SEDLNITZKIUM Baronem, eruditione non vulgari eximium quendam splendorem generosæ suæ familiæ, utut iniquis fatis pressæ, additurum, & non exiguæ spei adolescentulum VVASSERFHURERUM. De vestro quoq; securus sum calculo, Venerande Dn. SVPERINTENDENS, Sororie peramande, & Consultissime LANGI, quorum alter suum ex uxoris sorore, meũ ex eadem sorore nepotem PLASTERVM; alter uxoris fratrem KIESELBACHIVM, Juvenes laudatissimos, vidistis, audiistis, probavistis. Reliqui omnes, vestrâ incitati virtute, id ultro agetis, ne benevolentiæ radiis subtractis, Juventuti in curriculo aspero desudanti objiciatur impedimentum. Sed quid vos, VIRI, detineo, quos hac vice non virum, sed succrescentem adolescentum facundiam audire delectat? Verbum sanè non addo. Ipsi se non tam hisce, quas jam habuerunt, oratiunculis,

culis, quam laboribus sacratissimis, in quibus ætatem decreverunt consumere, probabunt

Dn. ALBERTVS SEDLNITZKY, Liber Baro in Coltitz, Moravus, qui repræsentavit Pont. Pilatum Judææ Præsidem:

JOH. KIESELBACH. Stetin. qui Petrum:

CHRISTIAN. LISCOVIUS Primisl. March. qui Johannem:

JOH. PRILVITZ, Demm. Pom. qui Judam.

GEORG. BEUTELIUS, Gransf. March. qui Caiph.

VVENC. BULLINGER. Cament. Lus. qui Hannã.

JAC. KIRSTENIUS, Stet. qui primum Pharisæũ.

JOH. RUCKEFORT, Pyr. Pom. qui alterum.

DAN. BRUNSVIGIUS, Stet. qui tertium:

SAM. PLASTERUS, Cosl. Pom. qui Romanum militem, sodalium & Judæorum truculentiam aversatum:

ALEX: MARTINI, Stetin. qui virginem θεοτόκον Mariam:

BALTH. RUCKEFORT, Pyr. Pom. qui Centurionem, ad miracula paßionis Domini conversum.

ANT. NEOMARCUS, Stet. qui Prologum.

DAN. VVASSERFUHRER, Stet. qui Epilogum.

J. MICR.

PROLOGUS.

NOn sine mente, Illustris & generose Domine, Viri Reverendi, Consultissimi, Excellentissimi, Clarissimi, nobilitate generis, doctrina, & multâ laude ornatissimi, vosq; eruditione & virtute Juvenes insignes, non ineptè, nec sine mente, sed experientia diuturna edoctus nonnemo dicit: Quemadmodum nautæ eò directius navim gubernant, quo eam tenent certius, & cursum interius brevi convertunt orbe: Sic mens nostra quoties precibus devotis Deum quærit, deq; Christi passione ardentius cogitat, non modo felicius fluctus vitæ hujus miserrimæ frangit, sed & tandem ex his miseriarũ tempestatibus avocandus certiorem portum invenit. Cum vero circa hæc tempora passio Salvatoris nostri acerbissima, de qua in Symbolo nostro Apostolico credimus & confitemur, quod Iesus Christus Mariæ filius sit sub Pontio Pilato passus crucifixus mortuus & sepultus, publicè in Ecclesia ore Pastorum explicetur, inq; auditorum pectora revocetur, quis nobis vertet vitio, aut quo nos Momus damnet crimine, si Christi vulnera, si scommata nequissima, si durissima flagra, quæ pro crimine mundi sustinuit, actu Oratorio publicè describamus. Si n. Romani vinalia celebrarunt, ut referunt Historici, quibus flamen Dialis vindemiam auspicatus, maturis jam uvis, vinum legere jussit, ita quidem, ut Iovi in his agnus immolaretur, quidni & æquissimum erit, si Christiani passionem Christi, quæ doctrina Christianis perfectissima, & scientia scientiarum est, præterq; quam & Paulus se nihil scire dicit, consideremus. Etsi enim quotidiè meditatio de passione Domini nostri Christi Iesu passim in sacris præcipitur, & ipse Christus sacramentum Novi Testamenti instituit, quo nos Corpus suum comedere, & sangvinem suum bibere, omniaq; in sui commemorationem facere jussit, hoc tamen tempore imprimis cum Ecclesia omnia passionis & mortis Christi mysteria accuratius rimari & ardentiori devotione salutis nostræ fundamentum scrutari, pia nobis injunxit antiquitas. Quod si n. in cœlo non est

studium

studium aliquod majus, quam humillimæ, & mirandæ passionis Domini nostri Iesu Christi contemplaitio, & immensi hujus beneficij erga genus humanū prædicatio, multò magis in Ecclesiis & Scholis, quæ præcipuè sunt imago agminum cælestium, eadem tractanda sunt, cum beneficium ad nos verius, quam ad Angelos pertineat.

Et quid pretiosius unquam aut dignius homini Christiano videri potest, quam sublimem illam personam θεανθρώπε, *Deum & Hominem, pro salute generis humani crucifixam & mortuam intueri. Hujus meritum tam salutare & infinitum est, ut unicum passionis hujus momentum, unica sanguinis profusi guttula, & sufficiens & efficax sit, ad salutem totius generis humani procurandam &* ἀναλύτρωσιν *omnium peccatorum tum commissorum, tum committendorum præstandam. Hæc Christi mors, hæc vulnera, hæc passio omnis felicitatis arx est firmißima. Si enim attendamus, quis passus sit, quisve diram acerbißimæ mortis plagam sustinuerit, deprehendimus, non fuisse Iulium Cæsarem, potentißimum Imperatorem Romanum, qui Romæ, quam variis victoriis ampliaverat, in Curia viginti tribus vulneribus confossus, vitam effudit; Nec Divum Laurentium, quem Tyrannus Decius candenti craticulæ impositum assari jussit; Nec alium ex communi martyrum grege hominem; Nec Monachum Franciscum, cui Papistæ fingunt aliquando Christum illâ informâ apparuisse, qua in Paßione sua vulneribus fuerat percussus, & stigmata suorum quinq; vulnerum, lateri, manibus, pedibusq; eius impreßisse; Sed pastorem summum, Virum Deo proximum, Filium Dei unigenitum, Dominum gloriæ, Autorem vitæ, & quid multis? Ipsum Deum, qui Ecclesiam suo sanguine redemit. Hic tantas sannas; hic tanta ludibria; hic tot casus & discrimina rerum, totq; in sancto suo corpore sustinuit vulnera, & tandem fata subivit tristia. Ille in hunc mundum venit, non ad perdendum genus humanum, sed illud ab æterna damnatione liberandum: Ille pro nostris peccatis, mortuus atq; sepultus est; pro nobis languores, dolores, & vulnera sensit, pro nobis*

bis opprobria & flagra & quævis acerba sustinuit. Omnia nostri causa fecit. Quis jam hominum non rejiciet omnem à se superbiam? Quis non agnoscet sua peccata, & suam deplorabit miseriam? O miseros nos & perditos, quidem homines propter quos filium DEI mori oportuit! Sed & ô terq; quaterq; beatos, quos jam novimus sanguine Christi redemptos. Quæ omnia si semper considerabimus, atq; pia animi devotione pervolvemus, non poterit non fieri, quin protinus agnoscamus & infinitum divinæ Iustitiæ in peccatores rigorem, & immensam divinæ clementiæ, erga lapsos homines beneficentiam. O Domine Christe! O spes vitæ! O vera animæ perditæ sustentatio! quales tibi rependamus grates! quas canamus laudes! Sed nemo satis te laudare, nemo ineffabilem tuam misericordiam satis enarrare potest. Omnes servi sumus inutiles, nostrisq; laboribus nihil gratiæ cælesti rependere possumus. Nec tamen interim, Auditores optimi, linguam prorsus comprimemus. Loquatur illa DEI magnalia: Edisserat, quantum potest, si non quantum debet. Et eam ob causam Schola hæc quoq; nostra rudi quidem, sed pio eloquio historiam passionis & mortis Christi exprimat. Prodibunt, ut sciatis, præcipuæ personæ, quæ passioni Christi interfuerunt: Sed cum Christi persona sublimior sit, quam ut eam aliquis sustinere queat, & facta, dicta, affectusq; eiusdem omnes diviniores sint, quam ut vel ab exercitatissimo oratore exprimi possint, imitabimur Apellem, Pictorem, qui cum immolationem Iphigeniæ pingeret, astantium vultus omnes pinxit longè tristissimos; Patris verò mæstissimi vultum cum exprimere diffideret, velamine apposito faciem eius obtexit; Sic Christi, persona hoc in actu Oratorio non prodibit. Prodibit primus tamen IVDAS ex concilio Sacerdotum, & Christum jam proditum esse indicabit, eiusq; obscuros natales extenuabit, paupertatem exaggerabit, doctrinam, qua leges Mosaicas videtur abrogare, detestabitur, quamq; sibi cùm reliqua Christi facta, tùm unguenti nuper in ædibus Simonis leprosi profusio displicuerit, enarrabit. Subsequetur PETRVS

TRUS cum IOHANNE: & ille quidem admirabundus conciones factaq; Christi proxima breviter repetet, quod Lazarum resuscitarit, quod Asello insidens, urbem introierit, ficui maledixerit, agnum paschalem in diversorio sibi præparari curaverit, eundem comederit; multa de morte sua prædixerit; Hic vero Christi amorem jam longè videri ardentiorem demonstrabit quam antea, historiamq; Cœnæ Dominicæ institutæ latius exaggerabit. Postea HANNAS de antiquitate, dignitate, præstantia Politiæ Mosaicæ, quam DEUS ipse tot miraculis confirmavit, perq; tot secula conservavit, dicet, pœnasq; describet eorum, qui contra leges à Moyse præscriptas deliquerunt; Explicabit, quod DEUS Iudæis Messiam promiserit, qui Iudæis regnum super omnes populos regiâ Majestate sit procuraturus; Indolebit, quod Iesus Nazarenus hunc sibi honorem rapuerit. Illi mox IUDAS triumphabundus Jesum esse captum annunciabit, & recensebit, quod eum turba ablegatorum & militum aggressus sit, quod is verbo omnes prostraverit, quomodo viribus resumptis ipse osculo prodiderit Dominum, quomodo diffugientibus discipulis solus Iesus captus sit quomodo Petrus Malcho auriculam amputaverit, quid Iesus dixerit, egerit. Paulò post IOHANNES tremebundus anxietatem & luctam Christi in horto; sudorem ipsius sanguineum, discipulorum profundum somnum, Angelicam consolationem, proditionem Iudæ, vincula Iesu, Petri animositatem describet, & in Christi omniscientiam, Potentiam, Amoremq; erga discipulos & Patientiam describendam longius progredietur, PETRUMq; plorantem excipiet, & confirmabit: qui ex Caiphæ ædibus progressus lapsum, conversionem, pœnitentiam suam graphicè edisseret. CAIPHAS deinde coram PILATO Præside Romano Christũ atroci criminatione accusabit, quod seditiosus sit, quod vetet tributum dari Cæsari, quodq; se Regem Iudæorum nominet. HANNAS cum aliis tribus Pharisæis testimonium contra Christum dicet, & ea exaggerabit, quæ de templo destruendo â Iesu dicta sint, quaq; ratione Iesus Mosi

contradixerit, blasphemumq; eum esse demonstrabit. Interim dum PILATUS alteram etiam partem esse audiendam respondet, & ut conveniant secum in prætorium, Iesumq; sistant jubet, IUDAS desperabundus conscientiæ suæ morbum contestabitur, Christo dabit testimonium innocentiæ, & triginta argenteos se redditurum & suspendio vitam abrupturum dicet. Postea PILATUS coram Caipha, & reliquis se innocentem deprehendisse Christum, significabit, quia Regem se profiteatur, sed non mundanum, quia Cæsari tributum dari velit, quia tandem seditiosus non sit, cum armis non utatur, nec viribus humanis innitatur, decernetq;, ut aut ipsi Christum secundum legem condemnent, aut patientur, ut dimittatur tanquam insons secundum leges Romanas. Summa. Universum accusati & damnati Christi negotium magnâ utrinq; animorum contentione agitabitur. Et postquam PILATUS improbis clamoribus defatigatus Christum condemnavit, IOHANNES verbis querulis recensebit omnem actum deductionis, crucifixionis, verborumq; Christi; PETRUS consummatam esse mortem Salvatoris dicet, & cum Iohanne alicubi latiturus abibit. Hinc MARIA virgo, mater Domini, querulam orationem de tanto filio sibi erepto, tamq; iniquis modis enecato instituet; & CENTURIO Miraculis, quæ in passione Christi facta vidit, enumeratis, sese ad fidem Christi convertet.

Hæc brevis totius nostri actus est dispositio. Restat, ut â vobis omnibus & singulis obnixè petam, ut aurium vestrarum operam nobis dare, & quæ prolaturi sumus, in meliorem partem interpretari ne dedignemini. Si judicij vestri gravitatem quis æstimare voluerit, fateor nihil nisi sublime exquisitè eruditum huc afferri oportere. Freti tamen humanitate vestra, animos obdurare constituimus, & si unquam faventiam vestram aliis benevolè accommodastis, obnixè rogamus, ut sermonem nostrum rudem, & ineruditum facilibus auribus & placidis animis excipiatis.

PErfeci tandem, quæ superioribus diebus clanculum meo sub animo sunt agitata: jacta jam est alea, qualemcũq; etiam res sortiatur catastrophen, prodidi nunc illum, imo eo quo volui redegi eum, quem diu prodere decreveram Nazarenum; Non infeliciter res cecidit; Quam primum enim ad Sacerdotum Collegiũ accessi, & præconceptũ proditionis consiliũ detexi, omnes adventum mihi gratulabantur, salutationibus humanissimis venientem excipiebant, loco non infimo me inter se collocabãt, imo immẽsis honoribus cumulato, gratias agebãt maximas, quod præ cæteris secum animum intenderem, ne Mosaicæ Synagogæ felicitati obstacula inijcerentur, quod Hæreses nimis infeliciter propullulantes singulari prudentia ẽ medio tollendas esse autumarem, ne techinæ male feriatorum malis artibus conciliatæ latius serperent, simplicium animos dementarent, & sic eos à vera beatitatis semita deturbarent. Id igitur ut nunc quam possum celerrimè conficiam, sedulo allaborandum esse censeo. Nam si recte novi istum nostrum, ceu vocamus, Magistrum, si mores ipsius satis mihi sunt perspecti, non tàm facilè cassibus nostris se implicari patietur: μυξοτεχνίτης enim est, & mille novit modos, quibus se quibuscunq; etiam insidiis expediat. Sæpius hæc retia ipsi tetenderunt alij, in contexendis fraudibus satis callide edocti; evasit tamen, & nexibus se explicavit; Idem igitur ne iterum jam tentet, operam industriam navabo: Nec est quod me à proposito deterreat fama illa, quæ spargitur, quod videlicet sit ille, quem anxiis hactenus suspiriis desideravimus, Messias. Non enim persuasum mihi habui, nec habeo, Salvatorẽ istum

 cœli-

cœlitus mittendum è tam vili & exili familia, carnis humanæ, ut ita dicam, velamina assumere. Magnis magna, juxta vetus proverbium, conveniunt, &, veluti Poëta loquitur, Fortes creantur, fortibus & bonis: nec imbellem progenerant aquilæ columbam; Magna omninô de ipso cælestia veritatis oracula prædixerunt. Anne igitur horum veritatem vano istiusmodi mendacio concidere oportebit? In sacrarum literarum pandectis stella ex Jacob oritura indigitatur. Bone Deus! quæ hæc est stella? quis eius splendor? quo eius radii se subduxerunt? Scilicet hæc stella appellanda est, quæ omni caret fulgore & nitore; Dominatoris titulo venturus ille Dominus in sacro codice insignitur: ubi gentium quæso hujus dominium & potentia se exserit? ne domum quidem propriam, ut cætera silentio involvam, ullibi locorum possidet. Imo ipse suo comprobavit testimonio, Vulpeculas suas sibi speluncas vendicare, sibi vero ne inclinamentum capitis restare. Regem Regnantium magnificentissimum nasciturum hunc Messiam sacra pagina prædixit. Quid quæso in hoc regiæ dignitatis? Parētes eius si aspicio, eorumq; conditionem accuratiori mentis trutinâ ponderandā mihi propono, nihil certè invenio, quod aliquam celebritatem aut felicitatem redoleat. Parens eius architectonicam exercet, suamq; operā manuariam quotidiè in quæstum confert, ne fame turpiter consumatur. Matrem itidem nullius celebrioris famæ radius irradiavit: obscura sub fece quasi latitat mulierum. Quamvis enim ex regia stirpe suam numeret genealogiam, nihil tamen eo ad claritatem ascendere videtur! Nam

Stemmata quid faciunt, quid prodest sanguine longo
Censeri & pictos Majorum ostendere vultus?

Quid patrum mihi expedit autoritas, nisi meâ ipsius virtute inclarescam?

Et Genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco - -

Licet autem hic homo, peculiari Spiritu inflatus, generis sui iactitet antiquitatem, ne arbitretur tamen sibi inde aliquid decoris posse accedere, cum omnes suos maiores extrema pauperie quodammodo dehonestet. Nihil igitur me abstrahit, quin quam exorsus sum proditionis telam, feliciter pertexam, & Nazarenum in ea, quæ meditatus sum, pericula præcipitem. Ad quod mihi magis magisq; stimulos suffigit novum istud & innumeris absurditatibus refertissimum doctrinæ genus, quod universam ferè Iudæam inundavit. Nam quæ (malum!) est audacia, aut affectata potius dementia, eas leges velle obliterare & resignare, imo ad Gades & Sauromatas usq; ultimos transmittere, quas sanctissimus legum conditor sanctissimè sancivit per Mosen fidelissimum suum administratorem, & postea per eiusdem successores & prophetas nobis quasi in manus tradidit? Severissimum Jehovæ in propatulo est mandatum, quo hæc statuta in æternum ad mũdi usq; παντολεθρίαν perpetuo servari, intimis sensuũ penetralibꝰ reponi, & ad posteritatẽ devolvi seriò jubẽtur. Hic nescio quibus technis expressissimas Dei præceptiones evertere non erubescit. Anne summa est impudentia & temeritas, Deo è diametro se opponere, eiq; in faciẽ contradicere? Sed nimis metuo, ne malo omine inceptũ illud facinus pertexere laboret. Notum est in fabulis, quã malis olim successibus usi fuerint Gigantes in Theomachiâ, quam adversus Jovem moliebantur. Cum enim Deum è sede suâ deturbaturi cæleste imperium affectarent, & ideo, ceu loquitur Vates

— Struerent ad sidera montes,
Tum pater omnipotens misso perfregit olympum
Fulmine & excussit subjectum Pelion Ossæ,

atq; ita scelestam hanc progeniem extinxit, ne tale quid posteritas auderet. Idem, nisi animus me fallit, & huic eventurum esse censeo, qui ruptis divini mandati repagulis nova & antid' hac inaudita dogmata imperitis instillare sedulò annititur. Nam novas religiones excogitare, hæreseos semina in Ecclesiæ agro disseminare, veras de vero Dei cultu opiniones evellere, & pravas hominum mentibus inserere, quid quæso aliud est, quam θεομαχεῖν. Adde quod & omnium invidiam & odium novitate ista in se cumulatissime derivaverit: Omnes enim illi adversantur, & populus, & Sacerdotum & Pharisæorum concio laudatissima, & quicquid uspiam est hominũ: Et quamvis nonnulli clandestinæ suæ benevolentiæ stricturas in eum emittant, cum metu tamen & tremore illud faciunt: Nam si de ullo vel ad Politicum vel Ecclesiasticum Magistratum querela devolveretur, ne obulo quidam vitam illius emerem, eò quod ipseâ sacratissimâ & purissimâ doctrinæ cælestis veritate deficiẽs, novisq; istis præstigiis animum advertens, nec quid æquum, quid iniquum esset discernens, sed cæco tantum impetu quodvis ψευδογράφημα pro intemerato & cælitus prolato Dej sermone apprehendens suppliciũ mereretur ultimum. At quid animos eorum, qui seducti sunt, moveat, id facillimâ assequor conjectura: Viderunt eius miracula cum stupore & admiratione, viderunt, inquam, quomodo in surdis auditus claustra removerit, vincula linguarum silentio ligatarum dissolverit, incurvatos claudicantium articulos rectificaverit, contagiosam morborũ spurcitiem â multis depulerit, squamas cæcitatis nonullorum oculis ademerit, & mortuos in vitam revocaverit. Hinc nullũ sub sole vitæ innocentiâ & sanctimoniâ operumq; magnificentia ad Deum propius accedere posse autumant. Præterea omniũ nutui se applicat, nullius humiliũ pariter & sublimium conversationem aversatur, affectus hominũ

simplicium suis blanditiis expugnat, & animos eorum sibi quacunq; potest calliditate & vafritie conciliat. Idcirco apud eos, quibus suis opinionibus animũ fascinavit, gratiam & benevolentiam meretur, omnes talem eũ esse arbritrantur, qualem in dictis & factis se gerit. At falluntur vanis istiusmodi persuasionibus : Ego qui jam ultra trienniũ præter propter singulis eius actionibus interfui, qui quo animo & scopo quælibet direxerit, diu veluti ê speculâ prospexi, multo aliter eos edocerem, ne oculis illorum amplius glaucomata obtruderentur, quibus sibi ad æternam perniciem fenestram & januam aperiunt. Nomen Schemhamphorasch homo callidissimus sacerdotibus ê Sancto Tẽplo surripuit, & hujus beneficio omnia perpetrat miracula. Et quãquam paupertatis Magistrũ se profitetur, longe tamen aliud sub intimo cordis recessu tacitè secum volvit. Id quod sole clarius elucescit ex illo, quod in convivio Bethaniensi in ædibus Simonis leprosi factum hoc ipso die vidi. Hic enim postquam Lazarum, qui ante dies aliquot animam efflaverat, in lucem ê tenebrarum latebris vi nominis, quod dixi, Schemhamphorasch reduxit, lauto & omni deliciarũ genere abundanti convivio excipimur. Sed quid rerum geritur? Dum accũbitur, ipse interea egregio, imò regio honore se mactari patitur, pedũq; lotione & pretiosissimi unguenti effusione molliter se curat. Maria enim redivivi soror Lazari alabastrum gerens nitidissimũ, Nardo pretiosissima caput ejus perfudit, ut odoris fragrantia in omnes domus angulos egrederetur. Ego cum reliquis discipulis hoc videns, non immeritò ex arroganti hujusmodi profusione & prodigalitate flãmæ alimenta concipio; cũ aliis super hoc ocioso & planè nihili fastu non parum mussito; in hæc verba deniq; erũpo: quid est, quod tãtæ pecuniæ magno forsitan labore & sudore corrasæ, tam inconsultò & leviter fiat dispendiũ? cur μέτρῳ, ceu dicitur, ἀμέτρῳ hæc

profunduntur; Video vos hic nondũ didiciſſe jura & leges boni Patris familias. Hujusmodi enim prodigalitas quid aliud arguit, quam veſtram in rei domeſticæ adminiſtratione imperitiam; Nonne conſultius eſſet factũ, ſi in honorẽ reſuſcitati fratris aliquid expendere voluiſſetis, ut hujus beneficentiæ rivuli ad pauperes emanarent? quorum inopiæ ſi ſubveniretis, meliorem fortaſſis gratiã à Deo iniretis. Verũ ille ubi me præ cæteris indignabundũ conſpicit, hiſce verbis ſatis duriter me increpat: Quid murmura? Quid muſſitatio? Quid me & piæ iſtius matronæ facinus cõvitiis proſcinditis? Annõ larga vobis ſeges pauperum quotidie ubivis eſt obvia? Credite mihi: ad me non ita ſemper vobis aditus patebit. Miſſa iſthæc facite, nec tantis perturbationibus me & mulierem obruite; non male enim hanc ſuã operã locavit: quod nobiliſſimũ hoc ἄλειμμα meo capiti impendit, eo meã ſepulturã vivis quaſi coloribus depinxit. Tela igitur ſollicitudinis, ne in eã coniicite. Quid inde aliud coniicio, quàm quod nimis arroganter de ſeipſo ſentiat, &, ut Græci loquũtur, inter alios ſemper ὑπερήφανος eſſe velit. Stamẽ igitur & ſubtegmẽ proditionis nõ abrũpam, ſed, uti cum Sacerdotibus & populi Senioribus decrevi, ſedulo ãnitar, ut id quod promiſſũ eſt, ea qua primùm potero occaſione perficiã: Ad quod me magis excitãt largiſſimæ illæ promiſſiones, quibus me ad ſuperiores honorũ gradus invitarũnt. Ita enim pollicebãtur, ſi mihi & ſibi pro animi ſentẽtia facinus hoc ſuccederet, ſe nõ divitiis tantùm, ſed magnis etiã honoribus me aucturos eſſe. Quid quod & ipſe non ita pridẽ ſuo vaticinio comprobavit, fore, ut poſt biduum filius hominis capiatur, & morte crucis deniq; mulctetur? Quid igitur ceſſo? quid prolixiori deliberatione tẽpus inſumo? quin abiẽs potius eâ, quâ potero, induſtriâ curabo, ut animi expleã libidinem, mihiq; ipſi bolum hunc gratiſſimũ è faucibus non eripiam.

PETRVS

O Res merè stupendas! O res ab hominum mentibus & cogitationibus longè abſconditas! Sic enim veriſſimè exclamare licet, Johannes Frater dilecte, ſi facta Domini ac Magiſtri noſtri æquâ rationis trutinâ aliquantiſper mecum perpendo. Omnia enim quæcunq; miraculosè præſtitit, aut ab æternâ mente producta, dignitatem quandam infinitam oſtentant, aut naturæ ſecretâ vi formata, excellentiam rerum omnium ſuperant. Divinum certè illum eſſe oportet, quem non natura, ſed mors ipſa divinâ quâdam virtute potentem agnoſcit, cùm Hieroſolymis multi, plures alibi, ut ipſe perſpectum habes, vitâ functi, ſanctiſſimæ ejus manus quaſi quodam cœleſti plectro percuſſi, ad vitam communemq; lucem redierunt. Porrò, ſimplicis vocis juſſu aperire aures ſurdorum, exturbare ab oculis cæcitates, orationem dare mutis, articulorũ vincula relaxare, ambulatum dare contractis, ejicere dæmonia atq; intercutes morbos, omniaq; alia valetudinum genera, quæ humana corpora unquam ſuſtinere queunt, ſine ullis rerum adminiculis ſanare, cujus tandem ſunt opera, quam ſolius DEI? Præprimis in admirationem & ſtuporem conjicior ob nuperrimum illud, quod Bethaniæ contigit miraculum. Lazarus enim vir pietate admodum conſpicuus, & ad fidem Domini noſtri jamdudum converſus, morbo lethali decumbens, è corporis vinculis evolaverat, ac morti naturæ debitum reddiderat, jamq; quatuor amplius dies in ſepulcro cõditi cadaver fœtorem quẽdam reddebat, ut ad priſtinam lucis uſuram nunquam rediturum videretur. Hunc Lazarum in terram ac cineres redactum ipſe vi numinis ſui divini è mortuis reſuſcitavit, & imperio divino uſus, Lazare, inquiebat, prodi: Qui

audi-

auditâ divinâ voce statim solutis mortis vinculis resurgit, & è momẽto redivivus prodit. O sanctissimum hominem, cui paruisse lætatur dira mortis atrocia! O divinum cœlestemq́; virum, cujus mandatum libenter accipit mortis sævitia, imò exsequi non recusat! O immortalem virum, cui mors, quod abripuit, vi coacta restituit! Cum itaq́; Lazarum demortuum in vitam revocasset, biduum Bethaniæ moratus, rectà deinde urbem Hierosolymitanam, ne minimi quidem Judæorum ac Pharisæorum minas æstimans, intrare decrevit. Utq́; divinam suam omniscientiam & omnipræsentiam miraculo quodam manifestaret, duos ex nobis in castellum quoddam ablegavit, ut adduceremus duo jumenta, quibus vectus urbem intraret. Diu in his locis Dominus versatus non fuerat, imò ab ipso castello longius aberat; Interim tamen perfectissimè novit, quod in castello ad horam & momentum inventuri essemus duo jumenta, asinam cum pullo subjugalẽ. Novit, quod inventuri essemus alligatam; Novit, quod viros essemus nonnullos offensuri, quibusq́; verbis in compellandis nobis essent usuri: ac eventum prædixit, quem res ipsa comprobavit. Tanta profecto notitia incognitarum rerum in neminem cadere potest, nisi in eum, qui aut DEUS est, aut qui divinæ omniscientiæ & omnipræsentiæ particeps est. Reges non possunt res alibi constitutas, nisi per plurimos internuncios & post satis magna temporum intervalla cognoscere: Interdum vix sua præsentissima pericula, & sibi structas & jam jam im̃inentes insidias olfaciũt, ut sibi quocunq́; pacto cavere possint. Sed hic noster Dominus non indiget, ut sibi quicquam annuncietur ab aliis: Ipse omnium animas introspicit, & voluntates hominum non novit saltem, sed & dirigit. Ideoq́; viri, ad quos nos ablegaverat, cum audirent, quod Dominus indigeret jumen-

tis, lubentissime nobis ea concesserunt. Illis Magister se superimposuit, magnaq; populi turba, quæ ipsum sequebatur & antecedebat, comitatus, urbem Hierosolymitanam, spreto vectus asello, introiit, tantâ profectò pompâ, tantâ hominum plaudentium alacritate, ut omnium ferè animi summâ perfusi lætitiâ exultarent. Magnum hoc censeo miraculum, quod corda hominum, alioquin difficilia, unico verbulo moverit, ut Paschali feriâ instante, cum ex omni loco sub sole concurrebatur, sibi jumenta concederent. Majus est, quod in tantâ urbe omnium suorum hostium animas ac manus, qui jam antea lapidibus ipsum interficere ac obruere conati erant, continuerit, ut ne capillum capitis ipsi evellere ausi fuerint. Maximum omnium est, quod ad præsentiam ejus tota commota fuerit civitas Hierosolymitana, & Osianna filio Davidis accinerit. Sed porro aliud considera gravius. Ingressus Iesus templum, omnia diligenter circumspexit, & zelo divino vendentes & ementes ejecit, mensasq; numulariorum, & cathedras vendentium columbas pervertit, nec permisit, ut quisquam templum coinquinaret, sed illud altâ voce domum esse orationis, contestatus est, quod jam factum sit spelunca & receptaculum latronum. Inde cæcos, claudos, alios, sanavit. Et quanquam Pharisæi cum impiis asseclis indignabantur, nemo tamen vel digitulo eum tangere, vel manus inimicas in ipsum injicere ausus fuit: quin potius ipse relictis ijs salvus & incolumis, tutus & securus exiit extra urbem in Bethaniam, nemine eum, quanquam omnium oculis expositus erat, persequente. Quin & altero die in urbem & in templum rediit, & acerrimè increpatis Pharisæis & Sacerdotibus, gravissimas adversus eos instituit disputationes, & nihilominus citra periculum recessit. Multum fuit, Lazarum è mortuis resuscitare, cæco ab utero visum, surdis au-

rium usum restituere: sed inter omnia quæ fecit, hoc videtur esse maximè admirandum, quod vir unus, & quidem contemtus Scribis & Pharisæis contra se sævientibus & lucra sua minui indignantibus, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasq; subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ innumerus nō fecisset exercitus. Igneum certè quiddam atq; sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis Majestas lucebat in facie, cum hæcce edebat miracula. Sed ut cætera alia, quæ præstitit, prætercam, vel ex hoc divina ejus elucet majestas & potestas, quod ad Bethaniam his nostris vidimus oculis fieri. Quem enim per DEVM immortalem esse judicas, cujus imperio arbores, si unicum tantummodo emittat verbum, marcescunt, exarescunt, ac nullum amplius fructum ferunt? Ex divina profectò, non humana, potestate hæc esse profecta quilibet æquus rerum æstimator primâ fronte dijudicabit. Summa sane, Frater dilecte, hæc sunt omnia, nec in ullius hominis potestate posita, divinam quandam requirunt prudentiam. Interim in admirationem magnam abripior, imò præ admiratione stupeo, si mecum perpendo illa omnia, quæ nuperrimè, cum agnum paschalem sibi præparari curaret, eundemq; cum cæteris fratribus comederet, de passione & morte sua enarravit, qua nempè ratione tradendus esset Iudæis, multis & variis conviciis, opprobriis, scommatibus notandus, flagellis, ferro, manibus cædendus, cruci affigendus & occidendus, ut tertio vicissim die majori gloria resurgeret. Ego sanè, qui Messiæ munere functus tanta miracula præstare potest, æternum fore, animum inducebam. Nunc quid dicam nescio? Res sanè mira videtur, & ab hominum mentibus & cogitationibus longè abscondita, quod, qui æternus DEI filius est, cruci sit affigēdus & acerba mortis spicula subiturus. Quid

 dicam?

dicam? Quid ſtatuam? In æternum ipſum victurum putavi. Sed longè aliter, ut jam comperio, res ſeſe habet. Præterea nulla ratione aſſequi poſſum, quî fieri poſſit, ut qui tanto amore Dominum proſequor, antequam gallus bis cantet, ceu ipſe prædixit, ter ipſum abnegem. Non ſanè hæc unquam à me perpetrabuntur. Et ſi mihi etiam unà cum ipſo vita cum morte eſt commutanda, ipſius fidem nunquam abjurabo. Non abnegabo ipſum, quam diu ſpiritus hos meos regit artus, & lucis hujus uſura dabitur: Sed gladio potius hoc omnes, qui Domino noſtro adverſabuntur, feriam, percutiam. Tu interea, Frater dilecte, quid de Domino noſtro ſentias, mihi quoq; declares velim.

JOHANNES.

VEra ſunt, Petre, frater dilecte, quæ de Magiſtro noſtro narras: Magna enim animi titillatione præterlapſos annos, ſalutares ejus audivi conciones, multotiesq́; ſtupentibus quaſi oculis mirabilia ipſius vidi facta. Vidi, quod Lazarum qui ultra triduum in terræ viſceribus hæſit, & fermè in pulverem redigi cœpit, verbis ſatis efficacibus reſuſcitarit. Vidi, quanto applauſu, quantâ pompa, quantisq́; apprecationibus, â pueris Hieroſolymitanis, licet vili aſello inſidens, urbem introierit, exceptus ſit. Quin & inſignem animi ſtuporem mihi incuſſit, cum Dominus & Magiſter noſter ficui illi, quam ſine fructibus eſuriens deprehendebat, malediceret, quod eo ipſo oculi momento folia ejus marceſcere, ſuccusq́; exareſcere cœperit: Vidi, quod agnum paſchalem in diverſorio ſibi divinâ providentiâ præparari curaverit, eodemq; comeſto, multa de morte ſua dixerit. Conſideranti certè mihi Domini noſtri ardentem erga genus humanum amorem & favorem

ineffabilem, longè is jam ardentior, quam antea deprehenditur. Cum enim homo, nobilissima illa creatura, principiò ab æterno suo parente creatus esset, & Paradiso horto illo amœnissimo impositus, contra divinum mandatum, (turpe dictu) arboris vetitæ fructum decerperet, quid hoc facinore promeruerit, nolo ego commemorare, cum quilibet nostrum magno id cum damno sit expertus. Hoc tantum dico, quod in suo consilio Deus pater decreverit, humanum genus ex orbe delere, & extirpare, imò ad profundissimas miseriarum abyssos præcipitare, nisi intuitu venturi Messiæ, quem Jesum Nazarenum, Dominum & Magistrum nostrum, filium illi Dei unigenitum, confitemur, rigorem justitiæ clementia & gratia nova sedavisset. Propter hunc solum justissimæ indignationis impetus stitit. Et considerans Deus, se propter solos homines cœlum, terram, maria, & omnia, quæ in iis continentur, creasse, eosq; heredes æternæ vitæ constituisse, mutavit sententiam, & quos morti æternæ destinaverat, in gratiam recepit. Sed tot dira dictui & cogitatu aspera Domino nostro, quem Messiam confitemur, subeunda esse, nunquam credidissem. Instare sibi mortem dicit, sed heroico pectore nequaquam fugam molitur; se onus redemptionis in se suscepisse, contestatur; se ad patrem abire ait, ut nos eò deducat, & Paracletum cœlitus mittat. Utq; firmum aliquod haberent homines solatium, cœnam Dominicam N.T. instituit, in qua ejus corpus & sanguis, in pane & vino omnibus manducantibus ac bibentibus verè distribuitur, promissioq; gratiæ singulis credentibus applicatur & obsignatur. Majora hæc sunt omnia, quam quæ capere mens mea potest. Hoc unicum intelligo, quod nos longe ardentius diligat, quam antea. Quantum enim, frater dilecte, putas? & quo numero referendum esse censes? Corpus suum pro inimicis in

mortem

mortem tradere? Quantum quæso hoc innuit amorem? incredibilem certe imò ineffabilem. Sanguinem suum pro aliorum flagitiis profundere, quanti favoris est? immensi certe. Admirantur nonnulli, nescio quem pro amico in causa capitis vadem se dare veritum non esse: Ast quanto est admirabilius, quod Dei filius, imo Deus ipse, non dicam amicos, sed hostes æternis eripuit suppliciis. Hæc sane licet sint gravissima, & omnem rationis nostræ captum excedant, longe tamen gravissimum est, quod corpus & sanguinem suum, hominibus ad mortem condemnatis, manducandum ac bibendum, certissimo amoris sui sigillo & confirmatione tradiderit. Quid hîc loquar? quid non eloquar, Petre? Hoc, dixit, est corpus meum; & porrexit panem consecratum: Hic, addidit, est sanguis N.T. in meo sanguine, & vinum in calice porrexit bibendum. Assedit mensæ, & corpus dedit edendum; sanguinem, quem venis adhuc continet, porrexit in calice bibendum. Nisi divinam Magistri sapientiam, potentiam & veritatem cœlestem jamdudum cognovissem, sensibus meis magis, quam verbis Magistri crederem. Sed jam occludo oculos rationis quæ his in mysteriis cæca est, rebelles cordis increduli instantias simplici fidei assensu dissolvo, id certo statuens, Dominum nostrum, quod velit, posse, & quod dicit, certò præstare. Corpus suum nobis porrexit comedendum: comedimus. Sanguinem suum dedit bibendum, bibimus. Dixit, factum est. Modum quo factum est, libenter ignoramus. Id miror, qui fieri possit, ut sanguis ejus profundatur, qui mundi Servator est, Filius Dei unigenitus. Sed instare carissimo Magistro aliquam, sive persecutionem, sive calamitatem, omnibus ex rebus prævideo: Dixit sæpius de sua proditione, passione, morte, & quæ dixit, profundo animi affectu attestatus est. Cœcus sum: nil video! Messias est, & mori vult. Mori

non posse Dominum vitæ scio, & tamen, qui ejus vitæ insidiatur, quotidie intueor. Ipse Judas nescio quid machinetur. Sacerdotes & Pharisæi tumultuantur. Et Dominus noster ultrò mori desiderat. Bone Deus, quid dicam, quid nõ dicam? Humilitatem suam erga discipulos quam mitissimus declaravit. Nunc nunc didici, quid sit, quod nuper dixit: Discite à me, non mundum fabricare, visibilia & invisibilia creare, non in ipso mundo miracula facere, non mortuos suscitare, sed quoniam mitis sum & humilis corde. Quam supplex se erga discipulos gesserit, in promptu est. Rex Regum, cujus nutu & arbitrio, cœlum, terra, mariaq; reguntur, inservit discipulis. Dominus Dominantium, sub cujus pedes omnia projecta sunt, fit minister. Cum enim inter nos oriretur dissensio, quinam maximus è nobis censendus esset, servus, dixit, non major est suo Domino. Reges & Principes dominantur: Vos autem non sic: Discordiæ & litis sitis impatientissimi, non superbi, non fastuosi. Ipse Potentissimus, factus est mitissimus & mansuetissimus, & linteo succinctus ipsos discipulorum suorum pedes fœtentes abluit. O stupendam tanti Magistri humilitatem! O admirabilem Domini erga servos mansuetudinem! O insignem Triumphatoris exinanitionem! Quid dicam amplius, quid eloquar, quid acie mentis porro dispiciam, non invenio. Redeundum est ad Magistrum, Petre, qui jam surrexit, ut in montem Olivarum ex diversorio progrediatur.

HANNAS.

SI quid est in me ingenij, quod quantum in me sit, satis superq; sentio: aut si qua dicendi exercitatio, in quâ me non inficior mediocriter esse versatum: aut si hujusce rei ratio aliqua à creberrimè auditis & lectis variarum

riarum gentium laudibus ad me profecta, â quarum enumeratione nullum vitæ tempus aures meæ abhorruerunt: earum rerum omnium vel in primis Politia Mosaica fructum â me repetere suo jure debet. Nam quoad longissimè mens mea potest respicere spacium antiqui temporis, & majorum nostrorum laudatissimorum annales lectione evolvere, inde usq; repetés, optimam ejus constitútionem reliquas omnes maximè superâsse, multisq; ad suspiciendam & ingrediendam sanctioris vitæ rationem expedisse video. Cæteroquin quod acroama, aut cujus rei commemorationem quis audiat lubentius, quàm quæ conjuncta est cum laudibus Patriæ, quæ nascentem excepit, in quâ infantia vagiit, pueritia lusit. Hinc ille non sine ratione dixisse videtur:

Nescio, quâ Natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Hinc etiam non pauci vel proprio consilio â patriis sedibus longè remoti, vel infortunio aliquo ex eis exclusi, licet eas præsentes oculis intueri non possent: attamen, æquâ mentis trutinâ perpendentes, laudibus ad cœlum usq; Patriam sustulerunt: nec quicquam linguâ ex stylo magis expresserunt, quod in Patriæ dignitatem vergeret. Atq; mihi quidem de Patriâ etiam nostrâ, & Republica Judaicâ cogitanti, nulla illi omnino Respublica, nulla Politia, nullum Regnum prævalere videtur. Creavit præpotens Jehova è nullo semine Cœlum, Terræq; machinam, meditullio aëris inhærentem, suoq; pondere libratam; Hominem deniq; ex globo terræ produxit, ejusque menti, ut omnia fiant πρὸς τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην Legem insculpsit, insculptamque per Mosen denuò confirmavit, secundum quam vitæ actiones tanquam ad Cynosuram dirigamus. Atq; hoc est fœdus Dei nobiscum: hæc verba, quæ posuit in ore nostro,

&hîc

& hìc Spiritus ejus qui eſt in nobis, nec recedet ab ore noſtro, & ſeminis noſtri à modo & uſque in ſeculum. Quodſi igitur Venerem Apellis, Junonem Phidiæ, Rhodiam Tabulam Protogenis ob venuſtam gratiam miramur; quo nos animo affectos eſſe oportet erga hanc Politiam, quæ non ab Apolline ex Tripode, ſed ex ſummi cœli, terræq; Monarchæ ore profluxit â primo ſtatim conditi mundi primordio. Adhæc ſi animum ulterius ad Megalandrum & Theandrum Moſen paulò altiùs attendo, mirabiliter ſingularibus & ſingulariter mirabilibus (Deo tamen omnia dirigente) noſtram Rempubl. cœpiſſe modis non inficias ire poſſum. Quis enim in ſacrarum literarum pandectis adeò peregrinus & hoſpes, qui non legerit, aut auditione aliquâ perceperit illa ἀξιόλογα καὶ ἀξιομνημόνευτα de Moſe? En enim in hanc lucem editus, vimineâ & papyraceâ ciſtâ, bitumine illitâ incluſus, proximæ Nili alluvioni exponitur; â Thermutide Regis filiâ extrahitur, adoptatur, inq; dictis & factis potens evadit. Deinde mirè educatus, mirè quoq; Dux populi Iſraëlitici evocatus eſt. Etenim oves ad montem Horeb paſcens, prodigio rubi innoxiâ flammâ ardentis Jehovam adeſſe intellexit, & miraculis virgæ in ſerpentem verſæ, manus leprâ obductæ, aquæ Sanguinis naturam induentis inauguratus â Deo ipſo populum Iſraëliticum educere juſſus eſt, & innumeris miraculis inclaruit. Et vix eſt rerum & creaturarum quicquam, quibus Deus ad ſuam majeſtatem miraculosè declarandam in hâc noſtrâ Politiâ non ſit uſus. Angeli miris ſæpè modis ſe πνεύματα λειτουργικὰ exhibuerunt: cœli ſyſtema ad preces Joſuæ conſtitit: ignis holocauſta ſacrificantium mirando modo devoravit: aër tenebris, peſte, grandine, tonitru in hoſtes deſæviit: aqua ſemel in mari rubro, ter in Jordane receſſit, & tum

Curvata in montis faciem circumſtetit unda,

Ut uno

Ut uno verbo dicam, Judæorum per tot secula conservatio & protectio fuit semper miraculosa cùm in piis protegendis, tùm in hostibus repellendis & puniendis. Ecce enim admirabiles hostium nostrorum interitus! Pharao infantes vix natos suffocans, ipse aquis maris rubri suffocatur. Jesabel sanguine Prophetarum madens, sanguine suo potat canes, quorum cibus facta fuerat; Coren, Dathanum, & Abiram terra devorat: Ranæ, pediculi, muscæ, bruchi Ægyptios divexant; Mors ipsos majores nostros Dei præceptis refragantes in deserto perimit, & ut ex aliorum numero innumero unum adhuc proferam : Antiochus, rabie fremens, verminoso ventre & squalidis fætoribus conflictatus expiravit. Quis itaq; tàm inhumanus, qui jam dignitatem Politiæ nostræ non intelligat, & plenis laudum buccis & buccinis decantandam non existimet? Porrò sub Mose & Josuâ εὐτάκτως facta sunt omnia, iisq; defunctis LXX. Optimatibus Cura Reip. commissa est, qui, magnæ deliberationis controversia incidente, populum πρὸς τάξιν direxerunt, & tanquam filium Ariadnes ex errorum labyrinthis eduxerunt. Nec defuerunt πήγαι καλῶν Scholæ, nec Prophetæ, verbi Doctores & Interpretes, qui â Deo peculiariter excitati, & edocti futura prævisa prædixerunt, aut τὰ παρόντα λανθάνοντα explicuerunt, prout â Deo, omnis εὐταξίας auctore & actore jussi sunt. Inter alia verò pleni sunt Mosis libri, plenæ Prophetarum voces, plena vaticiniorum vetustas, quæ testantur, Politiam in primis nostram non priùs summum gloriæ præ cæteris gradum ascensuram, quàm adveniat Messias, â Prophetis prædictus, â nobis diu expectatus. Hic erit, qui Remp. Judæorum regiâ majestate, super omnes populos collocaturus est. Hoc sceptra regia tenente non est quod timebimus hostes, quia Samsone erit fortior; non fortunæ vicissitudines, quia Davide erit felicior; nõ rerum

 inextri-

inextricabilitatem, quia Salomone erit sapientior. Hic erit nobis omnia in omnibus: maris fluctibus crudeliter sævientibus Ancora; periculis ingravescentibus, Asylum tutissimum, salusq; æterna.

Sed hæc breviter & in transcursu tantum. Namq; uti Sol altiùs incedens, & Meridianum nostrum Circulum attingens, minores jacit umbras; ubi verò devergit ad Horizontem, umbras spargit multò vastiores: Sic Politiæ Mosaicæ virtutes & dotes, quæ longè supra aliarum rationum verticem & veluti Zenith conspiciuntur excelsæ, hoc minùs sese diffundunt inani aliqua verborum ostentatione.

Interim quod IESVS Nazarenus Messiæ sibi honorem blasphemè rapere contendit, vehementer indoleo. Eam enim obtrudere nobis aggreditur fallaciam, quam Davus etiam facilimè deprehendat. Quodsi enim complicatam animi mei notionem evolvo, eoq; ad Reges ævi superioris regredior: tantum hic ab iis distare videtur, quantum Cœlum â terrâ, Ortus ab occasu abest. Quis enim tàm inhumanus, quin sciat, Regem absque aulâ regiâ nullum esse? Sed si quem vides, diademate ornatum, pluribus satellitibus stipatum videbis: si quem audis, multis præliis, victoriisque clarissimum, pluribusque subditis potentissimum audies. Propone tibi contemplandum Davidem, Regem illum felicissimum, quem primùm sola tribus Judaitica Regem inunxit: verum enim verò suâ in bellãdo & vincendo felicitate omnes tribus in sese inclinare fecit, & libertatis suorum studiosissimus binis cladibus strepitu foliorum præternaturali confirmatus, Palæstinos repressit, & Arcem Solymorum, quam in illum usq; diem tenuerant, eripuit: inq; illum locũ nobilem regiam sedem transtulit, domoq; regali extructâ ornatu regio conspicuus incessit.

 Progre-

Progredere altiori mentis indagine ad Salomonem, quo nihil potentius Judæorum theatra, nihil sapiẽtius cœli sidera aspexerunt; ad cujus sapientiam cognoscendam ipsa Sabæ Regina è remotis regionibus præstò fuit. Vis ibi palatia regia? Hierosolyma egregiis ædificiis extructis illa laudabiliter non tantùm conservavit, sed vehementer quoque adauxit. Vis divitias? multitudine infinitas, copiâ ingentes ibidem invenies: atque hæc est anima illa hominum, dixerim Reginam, cui obœdiunt omnia, Iudice & Indice nostro Ecclesiaste. Quo dicto quid verius sit, non video. Etenim Divitias, quæ genus & formam donare possunt, Reginam fecêre cani & sani prisci: huic palmam tribuimus omnes, huic omnia accepta, huic omnia feruntur expensa, & in ratione mortalium sola utramque paginam facit. Hinc versiculus omnium ore tritus: In terrâ summus Rex est hoc tempore numus. Cui & ipse assentior: χρήματα γὰρ ψύχη πέλετι δειλοῖσι βροτοῖσι.

Indagas in regendo Sapientiam? Sapientiæ fons quasi Salomon, qui solus omnibus in rebus ϖροαιρετικῶς egisse videtur. Idq; est, quod Philosophus tum demum beatum terrarum orbẽ futurum dixit, cũ aut sapientes regnare, aut reges sapere cœpissent. Etenim feliciter omnia succedunt in regno, quod Rex Philosophiæ præceptis gubernat: hæc est vitæ Dux, sine quâ hominum vita nihil esse potest; illa peperit urbes, illa dissipatos homines in societatẽ vitæ collocat, illa eos inter se primò domiciliis, deinde conjugiis, tùm literarum, tùm vocum communione junxit, illa inventrix legum, illa morum & disciplinæ magistra. Vis deniq; Potentiam? Eũdem subditorum, administrorumq; multitudine stipatum fuisse accipies. Hinc pleni sunt omnium historicorum libri, qui testantur, solo potentiæ lumine

D 3 Nomen

Nomen Salomonis è tenebris ereptum, & ad cœlum usq; fuisse evectum. Nam quicquid eximium, quicquid venustum, quicquid splendidum, quicquid deniq; gloriosum Regi competit, à solius potentiæ amplitudine vel maximè proficiscitur. Hîc paulò subsisto, mihiq; iterum novum propono Regem, JESUM scilicet Nazarenum, qui Regnum Judæorum super omnes populos ad summum honoris vestigium delaturus est. Quàm longo age intervallo hosce, quos antea diximus, antecellit? quantâ opum, divitiarumq; multitudine (si Diis placet) clarus præ reliquis existit? O audaciam detestandam! O ambitionem minimè ferendam! Ambit sceptra regia, qui pro regiâ sede incolit stabulũ & præsepe, quem pro satellitio Brutum, Bos, Asinusq; comitantur: brevibus; qui in iis, in quibus alios debebat superare, ipse humilimus, pauperimusq; superatur, adeò ut qui eum blasphemè Regem jactitare non affirmet, inter vivos ipsemet non sit ferendus. Quem in finem primoribus in Concilium convocato consilium iniimus de illo capiendo: ubi quidem commoda illud exequendi via statim inveniri non poterat; Tandem tamen omnium opinionibus & sententiis collatis egregium nobis oblatum est organon, JUDAS nimirum nomine dictus, cui ratio & conditio ejus satis, superq; perspecta, quiq; coram Concilio publico eum se traditurum promisit.

Sed eccum triumphabundum progredientem, in quo cardo rei versatur: res nostras decretas in portu navigare, animus, ingentem læticiæ significationem præ se ferens, indicio est. Sed propius ad me tendentem, & aliquid prosperæ fortunæ (ut conjicio) asportantem hîc operibor, ex eoq; quid acciderit, quidq; fieri curet, intelligam. Adventus tuus, Juda felicissime, mihi gratus accidit: sed gratior, si quid, quod libenter nunciatum velim, de præsenti instituto nuncies.

IUDAS

SAlve Hanna, Vir omnium Reverendissime, Salve, inquam, mihiq́; de prospero insidiarum nostrarum successu congratulare: Nam bonis, id, quod inceptum est, avibus ad finem perduximus; bonis auspiciis egressi sumus ad capiendum istum, quem anxiè hactenus desideravimus, præstigiatorem: nunc eum tenemus; nunc rem, quo voluimus, redegimus; facta & transacta jam sunt omnia, quæ facere animus decreverat. Quid porrò restat, nisi ut adamantinis vinculis constringatur, ne veluti anguilla lubricus evadat. Si enim rectè ejus ingenium perspexi, non fallor, ingenii acumen satis acriter intendet, ut cassibus, quibus hæret implicitus, quam primum se expediat. Ego personam meam in hoc proscenio, eâ, quâ par est, fidelitate sustinui: nihil in me defuit, quod in boni ducis munere requireretur. Vestrum nunc erit, in id, quod ajunt, velis remisq; contendere, ne vobis fucum aliquem obtrudat, & sic vestris manibus elabatur. Nam quanto labore & sudore mihi hoc cōstiterit negotium, nemo nisi qui eidem interfuit, testabitur; Ut enim rem in verba tantum conferam paucissima, haud gravatim audiat R. T. Sanctitas, quô modô & ratione tota hæc actio in effectum deducta sit. Strenuè quidem omni armorum suppellectile instructi eū accessimus, strenuè etiam adjuncta mihi virorum concio gladiis, lanceis, funibus, aliisq; ad rem pertinētibus machinis opus hoc molita est, ne quid negligeretur, quod ad conatus nostros provehendos facere videretur: sed aures quæso arrige quid acciderit. Ubi locum, in quo cum suis complicibus latitabat, attigimus, nostramq; præsentiam ille subodoratus est, obviam nobis processit, inquirens, cujus rei perficiendæ ergo pedem illuc poneremus, cumq́;

aliqui

aliqui ex nostratibus subjicerent, Jesum â se investigari Nazarenum, Ecce omni timore remoto, eum se esse omnibus detexit. Nos unico hoc verbulo prostrati, tremore & formidine debilitamur, tantoque metu inhorrescimus, ut vix locum, ubi consistere nobis liceat, invenire possimus: Cohors, quæ antea ingentes animos magno sub pectore versabat, quæ vel Achilli pugnam deferre non recusaverat, metu concidit turpissimo. Quin ita omnes nos cœcitatis obruit procella, ut ubi locorum hæserimus, ignoraremus: sed postquam, veluti Antæus, vires & animum resumsimus, ego præ cæteris expeditior & alacrior prosilio, signum proditionis hilariter exhibeo, & humanissimo osculo eum excipio; exceptũ illi, uti jussi erant, statim aggrediũtur, manus injiciunt, comprehendunt, abducunt. Ipsius assæclæ ubi vident rem in acie novaculæ esse constitutam, unus ex iis educto gladio sævitiam suam evomiturus Malcho Maximi Pontificis ministro dextram abscindit auriculam: Ipse increpatâ hac in Discipulo iracundiæ virulentia gladium vaginâ jam nudatum jubet recondere, amputatamq; Servi auriculam suo loco sanam & integram restituit: Deinde ad nos conversus, talia effatus est; Vos qui ad mei captionem tam alacriter huc confluxistis, quo animo id factum sit, vestram mihi quæso exponite sententiam: Anne me latronem & scelerum conglutinatorem esse existimatis? cur ita fustibus & ensibus mihi insidias intentatis? anne quotidie satis aperte vobiscum vixi in templo, aliasq; sacras actiones exercui? neq; digitum in me extendistis. Quæ ergo vos jam abripit dementia, ut nocte intempestâ cum tanto apparatu me oppugnetis, cum alias commodior mei capiendi copia vobis fieri potuisset? Interea ejus discipuli, qui antea perpetuo ejus lateri adhæserant, nescio in quæ latibula se subduxerunt & fugâ vitæ consuluerunt, ne iisdem cum ipso periculis

culis involverentur. Nunc eum, veluti jam dixi, captivum in Caiphæ summi Sacerdotis Generi tui, palatium abducent. Tu proinde, Vir Reverendissime, decus sacri ordinis clarissimum, tuam præsentiam honoratissimo Sacerdotum concilio ne subtrahe, sed eâ, qua fieri potest, celeritate mox te illuc recipe, tuisq́; adjuva reliquos suffragiis, ut in locum, quo dignus est, deductus merito supplicio afficiatur.

HANNAS.

PRoh Deum atq́; hominum fidem, quid audio? quantus ex cognito rei felici successu mihi lætitiæ cumulus nascitur? quantusq́ue gaudii æstus obrepit animum? Sanè (ut vera loquar) pectoris mei sinus tantâ hilaritate implebatur, oculiq́; tâm gratâ voluptate perfundebantur, ut venientem te omnibus deliciis affluens exciperem. Nunc demum me felicem! sed lingua quò vadis? Nunc Judæorum Remp. felicissimam prædico: nunc extra omnem dubitationis aleam Pharao alter, nos insidiosè sensim sine sensu extinguere laborans, singulari quodam Divino nutu captus est. Nunc lætentur, lætentur, inquam, omnes, quibus Salus Judæorum curæ, cordiq́; est! Miror autem, dilecte Amice, & ad stuporem quasi admiror, neq́; ἀλόγως, quo Spiritus stimulo pulsus, quâ Genij aurâ vectus, quâ opinionis dulcedine allectus & infectus Jesus Nazarenus, quem nosti, blasphemiis toties in nostram Synagogam eructatis, de minis nostris præmonitus, fugâ sibi non consoluerit. Sed mitto hæc, quia tibi provincia illum tradendi est injuncta, omnes animi atq́; ingenii vires in id intendito, ne spes, quam firmiter animo concepimus, decollet. Vulpem enim, ut dicitur, tenemus auribus: quem nisi fortiter & cum πανουργίᾳ quâdam contineas, facilè, ut sæpius,

nobis elabetur. In Caiphæ Generi mei summi Sacerdotis ædes progrediar: tu tua quibuscunque rebus poteris cura diligentissimè.

JOHANNES.

BOne DEUS, quàm cruentus est hicce dies! quàm sanguinolentus! quam egenus cõsolationis! Vix ego absque lacrumarum profusione, quod vidi accidere, effari valeo. Speraram Christum usq; ad finem seculi apud nos mansurum: sed quæ hodie meis oculis vidi, omnẽ illam ex animo spem ejicere videntur. Adest enim proh Deum immortalem! adest inquam ille dies, quo Magister noster ex nostro, & nos ex ipsius conspectu & conversatione ægerrimè eripiemur. Hunc infortunatum casum & ego doleo, & imprimis sentit Dominus noster. Ideoq; quasi in medio mortis agone constitutus, non semel exclamavit: Tristis est anima mea usq; ad mortem. Sicut enim omnibus natura insitum est, ut interitum suum effugiat, & quæ nocitura sibi videntur, acriter propellãt; Ita ipse quoq; Dominus, etsi ad omnes casus imperterritus, vel tribus vicibus mortem hanc ignominiosissimam deprecari voluit: Pater, inquiebat, si fieri potest, ut hunc mortis meæ calicem subterfugere possim, benignus concede; rem tamen non ex mea, sed ex tua benevola voluntate suspendo. Quo dicto magis magisq; animo consternatus, ex nimia cordis trepidatione & crebra animi anxietate sanguineum sudorem, in terram usq; defluentem, emisit. In hac rerum angustia, ipsi discipuli, & quidem ij, quos fidelissimos putavit, in quorum numero & ego fui, nescio an ex corporis lassitudine, an ex animi mœstitudine profundo sopiti jacuimus somno; Quin & vel tribus vicibus ab ipso Præceptore nostro excitati, & ad vigilantiam, animiq; constantiam admoniti,

moniti, ſuccubuimus. Hæc duriſſima vitæ & mortis certatio patrem cœleſtem adeò cōmovit, ut dolores filii miſeratus, angelum ex cœlo demitteret, qui animum ejus perterritum vivis conſolationibus erigeret. Verum dolorem Chriſti magis adauxit ſcelus Judæ, qui in noſtrum numerum jamdudum adſcitus, omnia quæ mellifluo Chriſti ore de ſalute hominum dicta ſunt, nobiſcum audivit, nunc vero nefaria audacia Præceptorem Sacerdotibus non auro ſaltem vendidit, nec ſaltem prodidit, verum etiam oſculo ſimulatæ amicitiæ in manus hoſtium tradidit: & ſic qui antea ſervus & nuncius Domini ſui fuit effectus, jam Mamonæ, Satanæ, impiæq́ue cohortis extitit famulus. Tum furibunda & veſana, imo rabidioſa militum caterva, nō ſolum cruentis ſuis manibus corpus Sanctiſſimi attrectare, verum & vinculis tanquam hominem facinoroſum aut parricidā conſtringere auſa fuit. O nefandum, atq; inauditum ſceleris genus! O facinus immaniſſimum & crudeliſſimum! In hoc triſti rerum ſtatu Petrus familiari ſibi inſtinctu animoſe & intrepide, ne hanc inſignem injuriam mitteret inultam, ſtricto gladio in lictores prorupit, & nonneminem ex illis (Malchum credo nominant) vulneravit, ejuſq; auriculam amputavit. Sed fruſtraneus erat omnis conatus, omniſq́ue animoſitas inanis: ipſeq; Magiſter, etſi tam enormiter læſus, & ſceleratè vinctus, amputatam Malcho auriculam reſtituit novo & divino miraculo integram. Quæ dum mecum conſidero, prorſus obſtupeſco. Oberrat enim animo meo vincti Domini noſtri omniſcientia, cui longè ante perſpectum fuit, quod eſſet ad mortem rapiendus. Novit enim, imò confeſſus eſt ſæpenumero, & in ultima etiam Cœna, in qua Sacramentum corporis ſui in pane ſacrato comedendi, & ſanguinis in vino bibendi inſtituit, ſe ejuſmodi mortis ſupplicio mulctatum iri. Miror igitur cur

hanc cladem non effugerit. Novi præterea immensam ejus potentiam, quâ stupenda edidit miracula, ipsisq; adeo imperavit Diabolis, & vel uno verbo lictores adventantes tanquam fulmineo ictu in terram prostravit. Miror igitur cur hac sua potentia adversus Sacerdotes uti noluerit Nec me fugit amor ejus in suos discipulos fervidissimus, quo tanquam verum illum, ceu loqui solitus est, Pastorē se semper erga suos præstitit. Miror igitur cur gregē suum hac vice non defenderit; cur dispergi passus sit. Verum quid verbis opus est? Noluit effugere; sciens prudensq; supplicium adiit: Noluit exserere vires suas. Adest enim tempus, quo juxta Prophetarum vaticinia ipse pastor gregis percussus, gregemque suum linquere coactus fuit. Verum animum non spondebo: sperabo potius, nos aliquando magna cum gloria illum denuò esse visuros. Sed ecce Petrum plorantem! faciem humectantem! crebrisq; ictibus præcordia vulnerantem. Novi quippiam oportet accidisse, quod ejus animum ita lancinet. Et nisi me fallit conjectura, in ædibus Caiphæ commisit, quod Magister commissurum prædixerat: & jam pœnitentia ductus, ita in lacrumas solvitur.

PETRUS.

VÆ mihi misero! Quid primum loquar? Quid cōquerar? Immersa est anima mea cruciatibus inferni; circumstant hostes innumeri, & prædam de me exspectant avidè. Tundit & pungit me mea conscientia. Video accusatorem meum, video tribunal tuum, video te, ô juste Judex, sedentem ad justè judicandum. Ecce! parata jam sunt tormenta, & vocati tortores; quonam fugiā? Quid suspiciam? culpam diffiteri nolo, nec si vellem, valerē; Mei n. cordis amaritudo loqui me cogit; dissimulare nequeo,

quæ

quæ perpetravi. Hei mihi! quam grave & ingens; Hei mihi! quam ingens & grave est, quod commisi scelus. A planta pedis usq; ad verticem nihil est in me sanitatis. O inferne, quam distendis fauces ad devorandum me; O Diabole, quam paratus es ad cruciandum me! O mors, ut sagittas exacuis ad enecandum me! Siccine ergò misero mihi pereundum in æternum? Siccine ô anima, jugis pœna tibi subeunda? Itane nec amicum, nec Advocatum ullum habeo? An ergô non est Resina in Gilead? An non est Medicus ibi? Verum ex tuo, Domine, aspectu iterum refocillatus spem remissionis peccatorum concipio. O Domine clementissime, quam tuus me conspectus longè dulcissimus nunc exhilarat! quàm confortat! Accedo ad tuam clementiam, sed loqui vix audeo. Grandis enim peccatorum sacrina me deprimit, & majestatis tuæ fulgor me terrefacit. Ah! quid suscipiam, ne condemnet? Tu sedes ad judicandum, & Diabolus adstat ad accusandum. Væ mihi! quid promerui miser? Ah quid aliud, quam tuam Deus iram & inferni flammam? Illa mordet; Hæc cruciat; Utraque æternum durat. Promerui miser, ut æterno igni mancipatus ex tuo regno, Domine, ejicerer. Ergone maledictus, abjectus & damnatus ero in perpetuum. Ergone æternis & morsibus & cruciatibus, Domine, me objicies? Ita quidem postulat rigor Justitiæ tuæ, sed appello ad misericordiam. Ah parce, iterum precor, parce mihi reo, & condona culpam! Num plasma, num filium, num famulum tuum prorsus abjicies? Alienum à te opus est. Alienum ergò & nunc sit, semperq; maneat. Tuum operare opus, & ignosce misericorditer.

Nunc recordor vocis tuæ: quid recordor? Imò nunc video te extensis manibus clamantem: Venite ad me

omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Venio, Domine, ad te, quia laboro nimis; Venio, quia oneratus sum nimis Refice igitur, ô Domine clementissime & misericors, laborantem servum & oneratum famulum. Magnum est opus peccatorum, quod me premit, & numerari nequit: Leva me igitur hoc onere: Leva me onere, & veniam scelerum clementer impertire. Scio te mitem esse, & interitu hominum nequaquam delectari: Emenda igitur errata, marisq; profundo immerge. Ne quæso adsperneris, Domine, gemitus servi tui, sed eos patienter exaudi: Doleo enim ex animo, quod Dominum, Magistrum, Deum meum abnegavi. Pœnitentiâ ducor seriâ, lacrymisque multis scelus meum coram te deploro. Hunc autem dolorem, & has lacrymas num cassas abire patieris? At quia pœnitentium fletus in conspectum Dei cadunt, cadant & hi mei fletus coram te, ô Deus meus, & in judicium mecum intrare noli. Magnum equidem, Johannes, Frater dilecte, commisi peccatum: imò tanta sunt mea delicta, vix ut mihi condonari possint; omniq; ut in gratia indignus sim. Linguam dedit mihi Dominus, ut se celebraret, & nomen suum apertè confiteretur, & ecce! abnegavit. Animam dedit mihi, ut se diligeret, & nominis sui laudem ubiq; propagaret, & ecce! imminuit, In animo prævaluit malignitas, in dictis impuritas, in factis iniquitas. Hinc iræ ejus tonitrua me terrent, & legis anathemata me conturbant. Templum Dei in me destruxi, fidem abjuravi, ex cœlo extorrem me feci, & econtra æternis morsibus & cruciatibus animam meam mancipavi. Abnegavi Dominum meum, quid agam? Quo me convertam? Ne jurâti quidem Magistro fidem habebam, cum prædiceret, quod ter â me esset abnegandus. Tanta mentem meam præoccupaverat præsumptio & propriarum virium confidentia. Nimium

viribus

viribus meis confiſus, ajebam, ſi vel reliqui omnes deficiāt, ſeq́ue ab illo ſejungi patiantur, me tamen commiſſurum nunquam, ut à me deſeratur Dominus, nedum abjuretur; imò me una cum eo mori malle, quàm vel latum unguem ab eo recedere. Sed jam, proh dolor! vera Magiſtrum dixiſſe compertus ſum. O me miſerum! ô me hominum, quos Sol unquam aſpexit, infeliciſſimum! Quonam fugiam? Ubinam receptaculum quæram? Sed recreat me viciſſim Domini immenſa & linguis humanis nunquam ſatis laudanda clementia & miſericordia. Ad hanc confugiam. Ad hanc provoco & appello. Novi enim innumeros olim peccatores divina clementiâ eſſe erectos. Protoplaſtos, qui valdè graviter in te peccaverant, mandatum tuum poſthabûerant ac contempſerant, ac idcircò unâ cum poſteris æternum exitium promeruerant, cum ad ſe redibant, in gratiam recepiſti: Lothum, Davidem & Manaſſem, legibus tuis minus obſequioſos erexiſti. Soluſne ego in æternum condemnor? Solusne ego cruciatibus infernalibus ſum mancipandus? Condonavit Deus Idololatriam Aaroni, diffidentiam Moyſi, adulterium Davidi, fornicationem Magdalenæ, rapinas & cædes latronibus multis: num mea delicta patietur eſſe irremiſſibilia? Non faciet hoc Deus meus, quia non facturum promiſit. Pro me quidem & ex meâ parte nihil allegare poſſum. Sed ex ejus poſſum quampluplurima. Annon cùm per circumciſionis fœdus, tùm lavacro baptiſmatis me abluit, & in filium adoptavit? Annon mei causâ filius μονογενὴς deſcendit de cœlo? Annon & mihi annunciatur læta vox Evangelii de gratuitâ peccatorum veniâ? Meus igitur, ô Domine, utut negate, ſis Advocatus coram Patre tuo cœleſti. Moveat te, quæſo, amor iſte eximius, quo me ſervum tuum toto vitæ tuæ tempore amplexus es. Moveant te promiſſiones & dicta, quibus ad te omnes pec-

omnes peccatores & delinquentes venire jussisti. His ego confirmatus videre jam videor placatum Patrem & pacatam eius iram: accusatorem Dœmona abactum: me justum pronunciatum. Infunde, ô Deus, menti meæ gratiam divinam, ut posthac totum me tibi mancipem & addicam. Fac ut laborem fructuosè, ut vivam piè, ut moriar tranquillè. Satis & plus quàm satis habebo, ista si impetravero: Hæc mea est, & erit opulentia, Deum habere propitium. Innova in me Spiritum rectum, qui in omnem me ducat virtutem. Hæc enim est sola mea voluptas, tibi soli adhærere, & laudes tuas annunciare populis. Adjuva me, ô Deus meus, in hoc sancto proposito, & si caro repugnat, compesce illam, & exaltetur nomen tuum. Ita eveniat, bone Domine, ita eveniat. Interea Iohannes Frater dilecte, non possum non lacrymis ora mea rigare nunquam desituris, si mecum considero, quam crudeliter in Caiphæ ædibus Dominum nostrum exceperint. Principes namque Sacerdotum, qui cæteris debebant esse autores ad colendam justitiam, per summam injustitiam falsaque testimonia cupiebant oppressum Dominum nostrum: suâ tamen spe excidebant, quod conductorum testium dicta minimè congruerent: Nam aut non cohærebant, aut se mutuò refellebant, aut erant de rebus frivolis & nullius momenti. Imprimis autem prodibant duo nebulones, qui asseruerunt Dominum nostrum fuisse gloriatum, quod possit templũ hoc destruere, & triduano reædificare spacio. Surgens autem in concilio Princeps Sacerdotum Caiphas quærebat, nihilne responderet ad objectum testimonium? Ipse verò tacebat exploratum habens, sive dilueret objectum crimẽ, sive taceret, nihil profici apud eos, qui jam secum constituerant, nullâ ratione dimittere liberum. Itaque Caiphas adjuro, inquiebat, te per Deum viventem, ut dicas nobis,

an sis

an ſis Chriſtus filius DEI. Ad hanc atteſtationem Pontificis abrumpebat Magiſter ſilentium, & tu, inquiebat, dixiſti. Veruntamen, quanquam nunc ne adjurato quidem creditis, aderit tamen aliquando tempus, quo videbis filium hominis ſedentem à dextrâ virtutis; & venientem in nubibus cæli glorioſum judicem vivorum & mortuorum, ut veſtram hanc enormem impietatem æternis ulciſcatur ſuppliciis. Ad hanc vocem Domini, Caiphas impius & ſangvinarius hypocrita, diſcindebat veſtimenta ſua, Dominiq; ſermonem ut intolerabilem blaſphemiam execrabatur. Loquitur, inquiebat, blaſphemiam: quid inſuper egemus teſtibus? Ecce! omnes audiviſtis blaſphemiam eius, quid vobis videtur? Et quia in blaſphemos lex eſt conſtituta, ut, qui adverſus legem Moſaicam vel hiſcere auſi fuerint, lapidentur, ideò reum mortis pontificiali autoritate decernebat ac pronunciabat. In quam ſententiam reliqui omnes unanimiter concedebant ὁμοθυμαδὸν clamantes, Reus eſt mortis. Itaq; mox exſpuebant in faciem eius, & colaphis miſerum cædebant. Alij ſceleratas manus in faciem eius mittentes jubebant, ut, ſi Chriſtus eſſet, vaticinaretur, quis ipſum percuſſerit. Tanta, Frater dilecte, hominum horum in Dominum noſtrum eſt petulantia! Hæc verò omnia Dominus patientiſſimo ferebat animo, cùm tamen poſſit, ſi velit, nebulones iſtos fulmine cæleſti delere, aut dehiſcente terrâ, rectà mittere in Tartara. Interim, ô Frater, lapſui meo condole, & qui ſceleratè Dominum in ædibus Caiphæ abjuravi, ipſoq; retroſpicientis auguſtiſſimo vultu quodammodo erectus ſum, ex eo exemplum cape & miſeriæ humanæ & divinæ in Ieſu noſtro clementiæ.

JOHANNES.

IN miserrimo, Petre, versamur omnes statu. Omnes defecimus: Omnes Magistrum, deseruimus. Quem tu abnegavisti, hunc reliqui partim prodidimus, partim destituimus. Ipse intus percutitur, luditur, ad necem damnatur. Nos tanquam oves balantes dispersi aberramus. Quid faciemus, Petre? Deus misereatur & filij sui, quem hactenus tot miraculis confirmatum, Mundo destinavit Messiam, & nostri, qui nihil habemus, unde consternatum animum solari queamus. Abeamus hinc, alicubi latituri, & eventum rerum turbatissimarum exspectaturi.

CAIPHAS.

QUanquam, amplissime Præses, Vir Inclite, Ponti Pilate, quanquam, inquam, notum compertumq; habeo, me in quorundam hominum reprehensionem incursurum, quod te virum autoritate gravem, in arduis tuis tam forensibus, quam domesticis negotiis, quibus occupatus districtusq; teneris, interpellare audeam: Tamen cùm salus publica atq; adeò officij ratio, qua labascenti reipubl. succurrere jubeor, id efflagitet, neminem fore, qui hoc mihi vitio vertat, arbitror. Ea enim jam politiæ populi Judaici facies est, ut, nisi brevi subventum fuerit, actum videatur de eàdem planissimè. Tot namq; indies gliscunt Hæreses, tot oriuntur schismata & dissensiones, tot prodeunt Hæretici, qui populum Judaicum â vero veri Dei cultu conantur abducere, abominandos cultus & ritus introducunt, verum legis usum tollunt, & nescio quam blasphemam doctrinam legi é diametro contrariam, quam Evangelium ex

sinu

ſinu cæleſtis Patris nobis revelatum, ſi Diis placet, appellitare non verentur, populo imperito obtrudunt. Prodiit nuper homo quidem fanaticus, ut leni verbo utar, qui ſe hujus hominis, cujus causâ te jam adire coactus ſum, prodromum eſſe profitebatur. Bone Deus! quanta hujus hominis fuit audacia, quanta impietas, quanta levitas, quanta deniq; in moribus & vitæ genere turpituto & deformitas! Cæpit hic publicè in maritimis locis, transjordanem, ſpurciſſimæ ſuæ doctrinæ virus ſpargere & diſſeminare; imò non incepit ſolùm, ſed id ipſum etiam perfecit. Ignobile enim vulgus & plebejam turbam vaferrimis ſuis verbis eò perduxit, ut pleriq; ipſi fidem adhibuerint, & novum ipſius doma, quaſi è cœlo delapſum, avido animo arripuerint, atq; tam tenaciſſimè ipſi adhæſerint, ut etiam ſe ſacrô baptiſmatis fonte, ſi ſacrum & non magis profanùm appellandum venit, initiari permiſerint. Sceleratiſſimis quibusq;, imo illis, qui non ex tribu aliquâ populi Judaici oriundi, quos ſolum promiſſio Meſſiæ, patribus noſtris facta, concernit, remiſſionem peccatorum annunciavit, parum cogitans, futurum Meſſiam, non ad Gentiles, ſed ad populum Iſraeliticum ex auguſtiſſima cæli faſtigio deſcenſurum eſſe. Cum itaq; Sanhedrin noſtrum hujus hominis pernitioſum dogma ſenſim pededentimq; latiùs ſerpere, omnes illas civitates, in quibus antehac integra ſalvaq; legis manſit norma, verus ille Iſraelitarum Dei, hujus univerſi effectoris, cultus peractus eſt, quin & Sanctam hanc civitatem Deo in habitaculum electam, invadere animadvertere, legatos ad hominem ablegavit, ut interrogarent eum, cujus autoritate baptizaret, novumq; ac antea inauditum dogma proſeminaret, an eſſet Propheta, an Elias, an Meſſias venturus. Proh Deum immortalem atq; hominum fidem!

quanta hic ex illo effulsit levitas & inconstantia, quantâ in respondendo circuitione usus est, siquidem nunquam directe & categoricè quis esset, quidve animo haberet, eloqui voluit. Dixit enim se non Prophetam, non Eliam, non Messiam esse, sed vocem clamantis in deserto. Hunc autem populi seductorem potentissimus ille Tetrarcha Herodes, ne major ex ipso pernicies in populum hunc promanare posset, è medio sustulit. Ast en novum seductorem, qui multis parasangis, quod dicitur, præcursorem suum vincit! In quæ nos, sancte Deus, reservasti tempora! Itane Ecclesiam tuam sponsam tibi dilectissimam, hactenus illæsam & illibatam corrumpi sines? sed quo rapior? Porrumpit homo hisce ad quodvis facinus paratissimus, prorumpit, inquam, novum religionis ritum invehere allaborans, quem ego: Sed reprimam me; præstat causam hanc coram judice competenti dicere. Hunc itaq; officio admonitus, tanquam hominem seditiosum, angustissimæ Cæsaris majestati, & politiæ Judaicæ infensissimum hostem, blaspemum Dei contemptorem ad te defero, atq; hic coram tribunali tuo, Præses Inclite, illum sisti volo, ut firmissimis rationibus â nobis instructus, sententiam ex Juris & legum examine feras, illumq; morti crucis quæ nefandorum hominum sceleribus debetur, addicas. Antequam verò ad hujus hominis flagitia enarranda accedam, â te, Præses Inclite, quâ par est, animi submissione, rogo, ut benignè placideq; mea excipiatur oratio.

Cognovisti in vestibulo orationis meæ, Præses inclite, quô pactô præcursor hujus hominis Johannes Baptista, ut illum vocitant, basin ac fundamentum eius corruptæ doctrinæ jecerit, & quomodo, cùm ex imperscrutabili Dei providentiâ mature sublatus sit, perfectũ dog-

matum

matum suorum Systema coordinare non potuerit. Hic itaq; longè pejor illo, id jam effectum dare conatur, atq; eò impudentiæ conscendit, ut publicam pacem, quæ vinculum amoris, consortium charitatis merito existimetur, seditiosorum hominum more, qualem illum etiam nunc publicè proclamo, interturbare non erubescat. Atq; ut de hac re, eò certiorem te, Inclite Præses, reddam, originē eius, ut illā ab aliis accepi, præter auditum enim nihil habeo, repetere constitui. Cum jam divi Augusti Imperatoris potentissima manus totum ferè orbem imperio suo subjecisset, & jam ubivis locorum alma pax floreret atq; vigeret, census omnibus, qui sub præsidio imperij Romani delitescunt, exactus est. Eo ipsô temporis articulo communis hujus lucis usuram homo hicce adeptus est. Patre Josepho natus est, Architecto seu fabro lignario. Ast, quid dico? Josephum patrem non habuit, sed Maria eum conceperat, antequam Josepho elocaretur. Tu præses optime, pro tuâ prudentia quæ tanta est, ut reliquos omnes, qui hôc officio perfuncti sunt, antecellat, facile judicare poteris, legitimusne an illegitimus filius sit dicendus. Sed venio ad rem ipsam: Homo itaq; hic ante aliquot annos, cum diutius latere non potuit, in lucem prosiluit, doctrinæq; suæ pestiferæ elementa, ita hominibus inculcavit; ut maxima pars se ipsi adjunxerit, nonnulli præstigiarū, quæ miracula esse putarunt, spectatores extiterint. Non enim solùm in publicis viis, locis desertis, vicatim compitatimq; doctrinam suam decantavit; verùm etiam Synedria nostra perreptavit, templum ipsum ingressus est, in eo conciones suas ad populum habuit, ac undiq; magnos tumultus excitavit. Dixit namq; seductor hisce, adimpletum jam esse tempus illud, quo Messias, qui jugum servitutis à nobis

depulsurus esset, venire debuerat, atq; adeò, se illum esse, utpote qui à Patre suo Cælesti, ô blasphemiam! ex æthereo illo domicilio demissus sit, tanquam cornu salutis, & illuminatio multorum; proindeq; legem jam cessare debere; omnes ceremonias leviticas abrogatus esse. O impietatem, ô scelus, ô flagitium! Imo nos summos Pontifices, Phærisæos, scribas & omnes illos, qui in servitiis Dei nostri præstandis occupati sunt, variis calumniis proscidit, mendaciis ac dicteriis traduxit, hypocriseos insimilavit, & ut majus nostri odium apud populum concitaret, parabolis ac fabulis suis, quibus ad capiendum vulgus utitur, adeò invisos nos reddidit, ut homines nostri nos tanquam fanaticos ac spiritu vertiginis obsessos summopere abhorreant. Modò enim nos viperarum progeniem esse dixit, modò nos sepulcris dealbatis & incrustatis assimilavit, & nescio quid convitij ad violandam nostram existimationem non congessit. Quanquam vero, ut omnes, qui in hâc civitate contra religionem se commoverint, in ea senserunt, esse egregios magistratus, esse summos pontifices, esse arma, esse carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifestorum scelerum majores nostri esse voluerunt; sic & hic sua impietatis & audaciæ persecutores sensit acerrimos, qui ex templo eum exturbaverunt & lapidibus, nisi cessisset, obruere voluerunt, Tamen tentæ est impudentiæ, ut repudiatus redeat, oculos sæpe ad templum hujus civitatis, quid jam è faucibus suis ereptum esse luget, retorqueat. Quantum facinus ad te delatum sit vides: Cui si paucos affines esse putas vehementer erras; Latius opinione disseminatum est hoc malum; manavit non solùm per Judæam, verùm etiam fines Galilææ attigit: quid dico, attigit? tota ferè Judæa pestilentissimi hujus dogmatis ba-

ratro

ratro absorpta est, quod obscurè serpens multas jam provincias occupavit. Id opprimi differendo non potest. Quacunq; itaq; ratione placet, celeriter tibi vindicandum est, ne pravi hujus dogmatis sonus in universum exeat mundum, tantasq; inter populos potentissimos cieat turbas, ut in sua viscera sævientes, bello quodam Cadmæo se invicem petant. Non est jam lenitati locus; severitatem res ipsa efflagitat; Crucifigatur, crucifigatur, ne pristinam lenitatem speret perpetuam futuram. O fortunatam politiam Judaicam, si hanc sententiam hujus urbis ejecerit! Uno, me Hercule, Jesu exhausto, relevata mihi & recreata videtur respubl. Quid enim mali aut sceleris fingi & excogitari potest, quod non ille conceperit? Quis tota Judæa Idololatra, quis peccator, quis publicanus, quis sicarius, quis latro, quæ mulier infamis, quis legis corruptor, quis corruptus & perditus inveniri potest, qui se cum Iesu non familiarissimè vixisse fateatur. Quàm subitò non solùm ex urbe hâc sanctâ, verum etiam ex agris ingentem numerum perditorum hominum collegit? nemo namq; non modò Hierosolymis, sed nec ullo totius Iudææ angulo impurissimorum peccatorum dehonestamento inquinatus fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris fœdus asciverit. O nos beatos! O rempubl. fortunatam, si flagitiosorum hoc & desperatorum hominum grege liberata fuerit! O præclaram laudem pontificatus mei, si meâ operâ in extremam perniciem illos protrusero! Et quo pacto diutius ferri ac tolerari possunt? Non enim jam sunt mediocres hominum libidines, non humanæ audaciæ tolerandæ, nil cogitant nisi dissidia nisi schismata, nisi dissensiones. Verùm quæ stultitia, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, dormientes vigilantibus

 tibus

tibus, fanatico quodam ſpiritu agitati, illis, qui limpidiſſimâ legis doctrinâ tincti? Et quinam tandem ſunt illi, qui Christo adhærent, qui in eius doctrina propaganda ſolliciti ſunt? quinam? Quinam alij, quàm, ut deniq; ex quibus hominum generibus hæ copiæ comparentur exponam, quinam, inquam, alij, quàm perditiſſimi quidam homines inteſtinam aliquam perniciem quotidie reipubl. minitantes, quorumq; omnis induſtria & vigilandi labor in politia Iudaica funditus evertenda expromitur? Eſt genus ſane varium, miſtum & turbulentum ex ingenti fluctuantis plebis multitudine collectum. Atq; meritò hic ſummo jure primò ſibi locum vendicat innumerabilis illa inſanientium meſſis, quæ illum, ut ſaltem præſtigias eius cernat, concomitatur. Deinde illi, ſub quorum tectis cibum capit, & â quibus cum ſuis aſſeclis ſuſtentatur. Hi ſunt famoſi peccatores, publicani, quorum nemo, cui honeſtatis mica ineſt, conſortio gaudet. Cum his pecunias longis & iniquis exactionibus acquiſitas inſumit ac dilapidat. Sed hoſce homines minime pertimeſcendos puto, quod aut deduci de ſententia, aut ſi permanebunt, non magnum detrimentum nobis inferre poſſint. Verum aliud adhuc eſt genus, non ſolùm de numero, ſed etiam de genere ipſo & vita, quod proprium eſt Chriſti: imo vero de eius complexu ac ſinu, quos maxime pertimeſcendos eſſe puto. Hi enim illi ſunt, quos tanquã organa ex variis hominũ generibus, ut piſcatoribus & aliis læviſſimorũ hominũ conditionibus, ſibi elegit, quo, etiãſi ſibi vita eriperetur, tamen ſterquiliniũ quoddam relinqueretur ex quo ſui ſimiles renaſci poſſent. Hi quotidiana eius converſatione uſi ſunt; hi tanta pollent aſtutia, ut, niſi pereant, etiamſi Chriſtus periret, in repub. tamen ſeminarium quoddam Chriſtianum futurum ſit.

Aſt

Ast illis, aut fatum aliquod impendere, & pœnas jam diu improbitati, nequitiæ, sceleri, libidini, debitas aut instare jam, aut certe appropinquare omnino confido. Sed hos missos faciamus: ad Nazarenum, qui horum dux, fax & lux est, redeamus. Dicas sanè, Præses Inclite, hæc non ad tollendam pacem publicam aliquid facere, cum tantum religionem nostram, quam Imperium Romanum nihil curet, spectet. Verum jam experieris, quorsum tendat hic homo omnium, quos Sol unquam aspexit audicissimus, quantumq́; , si hæc res felicem consequetur catastrophen, non solum politiam Judaicam, verum etiam Romani Imperii constitutionem concernat. Tam enim prorupta est audacia; ut non vereatur edicto quasi quodam publico pronunciare Cæsari censum non esse dandum; de quo si dubitas, Herodis nunquam satis laudandi ministros nostrosq́ue discipulos, qui hanc ob rem illum convenerunt, accersi jubeto, qui jurejurando sanctè id confirmabunt. Cogita; tam quæso, quanti hic faciat Cæsarem: cogita quãtum exinde Cæsari damnum oriatur, si censu hoc amplissimo privandus sit. Est census iste nervus quidam imperii Romani, quo inciso totum id diffluet, diutiusq́ue florere, imo ne consistere quidem poterit. Census iste est id, quod in corpore humano anima. Tolle animam; quid reliquum erit? nil nisi putridum cadaver. Jube quoq; censum Cæsari subtrahi, quid erit Romanum Imperium? nil nisi regnum exsangue, famelicum & aridûm, optimo thesauro, quo regna conservantur, cassum. Quid? non solum tributum Cæsari non competere affirmare ausus est; verum etiam se regem Judæorum audacissime profitetur; cũ nos tamen nullum Regem nisi Cæsarem, sub cujus tutela tanquam sub firmissimo quodam clypeo ab omnibus periculis tuti quiescere possumus, agnoscamus. Descende jam

in te ipsum, Pilate, ac exactius perpondera, quantum hoc Cæsaris Majestati deroget, & quantam Romano Imperio notam inurat, quod hic tam infamis homo non jure populo illum præesse asserere audeat. Est sanè crimen læsæ majestatis, quod crucis pœna dignum nemo inficiabitur. Tunc ut hicce se Regem nostrum esse gloriaretur, permitteres? Tune capitalem huncce Cæsaris hostem, quem jam pridem gravissimo supplicio affectum esse oportebat, non morte mulctares? Crucifigatur, crucifigatur, & nulla tunc pernicies à monstro illo mœnibus nostris incumbet.

Crucifigatur, crucifigatur: & delebitur non modò hæc tam adulta Reipublicæ pestis, verum etiam stirps & semen malorum omnium: nullum periculum in Rempubl. residebit, nullum in visceribus inclusum remanebit. At invidiam hujus sceleratissimi hominis times, inimicitias eius suscipere abnuis? Præclaram verò Cæsari & populo Romano refers gratiam, qui propter hominem incognitum, nullâ commendatione majorum innixum, salutem Cæsaris ac civium Romanorum negligis. Quid metuis Pilate, invidiæ falsæ atque intempestatem subire, dummodo à Cæsare, civibusq́; Romanis adeoq́; à nobis periculum depellas? Quapropter cum jam, Inclyte Præses, quid tui officii sit, ex his, quæ à me dicta sunt, intelligas, hominem hunc nefarium opprime: omnes ejus motus conatusq́ue prohibe, eoq; anitere, ut sceleris sui pœnam, sustineat. Hoc si facies, Cæsari, Populo Romano, ut & Judaico officium præstabis gratissimum: & nos quoq; in beneficio hoc renumerando non erimus negligentes. Deus ter optimus maximus, in cuius manu sunt hæc omnia, ita illa dirigat, ut sanctissimæ & florentissimæ huius urbis, cuius status jam is est, ut verè dici de eo possit: Sicut lilium inter spinas, ita amica mea inter filias, salus unice promoveatur, & licet

spinis

ſpinis & vepribus hæreticorum undiq; circumſepta ſit, nihil tamen earum aculeis offendatur ac de ſtatu dimoveatur; ſed quo ſemel eſt imbuta recens odore juſtiſſimæ legis, illum ſumma cum pietatis & conſtantiæ laude ſemper conſervet ac tueatur.

PONT. PILATUS.

REm ſanè ſtupendam ac inauditam, Caipha, vir ſanctiſſime, profers. Neque enim ſatis admirari poſſum, ſubitam ac præter omnem opinionem rerum immutationem. Urbem hactenus pacatam, tranquillam, ſub Romanorum Imperio hactenus quietè adminiſtratam, nulla diu ſeditione commotam, nunc res novas tentare, & neſcio cujus hominis ſuaſu defectionem â populo Romano moliri haud libenter audio. Dicis, Jeſum Nazarenum Cæſari tributum negare, omnem ipſi adhærere populum; Ais porro, ipſos eum blaſphemare ſuperos, Regemq; ſeſe venditare; Hominem prorſus eſſe, in leges veſtras impium, cui jamdudum bella inteſtina, ac diſcordiæ civiles gratæ fuerint, quiq; iis in rebus diſcipulos ſuos potiſſimum exercuerit. Mira certe ſunt, quæ ex tuo intelligo ſermone: Etenim undique optimis legibus ac ſtatutis urbem præmunitam ſcio; unde itaque tam repentina civium diſſenſio? ſed cum Præſidis Romani ſit, probè accurateq; proſpicere, ne quicquam detrimenti ſentiat Reſpublica, ſagaciter perſcrutanda, ac perveſtiganda erunt omnia: cumq; nec judici liceat, ſine cauſa aliquem citare, nedum damnare, veritas præprimis ipſi inquirenda eſt: Nec ſatis probatum videtur, ex unius relatu rem decidere, quia in ore duorum ac trium, ipſa veſtra lege teſte, omnis conſiſtit veritas. Quodcirca legitimo hanc rem judicio committo;

utq; si quos habetis, adducatis testes, eâ, quâ polleo, autoritate jubeo, ac strenuè mando: Ipsosq; adhortor testes fideliter, ut ante omnia non affectibus suis sed veritati consulant & ne impio, falsoq; testimonio conscientiam onerent ac prægravent. Nihil enim tranquillitate conscientiæ excogitari potest beatius: animusq; sibi benè conscius, summum bonum est, summaque voluptas, nec patitur se infuscari, aut diminui. Contrà malæ conscientiæ inquietudo, nec dies patitur, nec noctes securas. Ne arbitremini leviusculũ esse, testimonio falso perdere insontes: Vnumquemque sua fraus, & suus terror maximè vexat: suumquemque scelus agitat, amentiaq; afficit. Hæ sunt impiis assiduæ, domesticæq; furiæ, quæ dies noctesq; parentum pœnas à consceleratissimis filiis repetunt. Quare vos denuô admonitos volo ut veritatem, (quam quemvis summopere amplecti decet) fateamini. Meum, quod superest, nunc erit auscultare, ac Remp. expedire; vestrum testes, vera rerum testimonia proferre.

HANNAS.

IXion, Præses maxime, in Poëtarum fabulis, nubem amplexus dicitur, cum sibi Junonem amplexari videretur: non aliter istæ Ixionis stolidissimi Simiæ & Moriones mihi hactenus fecisse videntur, qui pro vero & præpotenti Dei Filio, Regeq; maximo φίλον ἄνθρωπον sunt amplexi. Ut autem

Quicquid sub Sole est, in apricum proferet ætas:

Sic tandem hæ fraudes diu latitantes sunt retectæ. Nam plena testantium civitas, plenæ approbantis vulgi voces, plena loquentium domus hæc, qui testantur ejus magnam in ædificando Templo impietatem, majorem in tacendo

causæ

causæ improbitatem, maximam in confitendo blasphemiam. Et quis tanto inhumanitatis callo obduruit, qui illum vitâ orbari nolit, quem omnes de statu mentis non dejecti extremum vitæ Spiritum agere etiam atque etiam gaudent? aliter certè qui sentit, is non minùs ineptit quàm Anaxagoras, qui nivem ajebat esse nigram, ut enim ille sensuum, sic hi experiētiæ bellum facit. Sed quid Soli lucem aspergo, qui ambiguis enarrandis tempus tero? Adsunt testes ædes Caiphæ, quæ satis justam necandi causam suppeditant. Illic enim accusatus in puncto blasphemiæ JESUS Nazarenus tacebat, pudebatq; ipsum antefactorum; verùm & serô & nequicquam pudebat: audiebat verba per jugulum reditura; verùm tolerabat, nec gry quidem proferebat: stabat tum Deus, omnium hominum auxiliator, ab omnibus derelictus hominibus, discipulisq; propriis, & quod magis est, ad respondendum incitatus, blasphemiam superiorem tueri non verebatur. Sanè quodsi cujusquam fuit veritatis limites transgredi, dissidia populorum movere, vana & profana dogmata spargere, huius fuit: si cujusquam fuit legi, ordinationique publicæ refragari, ejusdem fuit. Jam quem fugit: Inobœdientiam Magiâ esse deteriorem, & Deo resistere; Hæresin esse, & Idololatriam, teste Scripturâ? Hinc Adamus felicissimus propter inobœdientiam morte damnatus est æternâ: & propter eandem Absolon formosissimus morte periit deploranda. Utinam ergo! utinam animi mei agellus esset feracitatis, fertilitatis tantæ, ut amœnissimum persuadendi protruderet florem! ah quàm uberrimi non solùm ad te, Ponti Pilate, sed ad omnes & singulos fructus redundarent! Tandem verò verius est: ἃ πάσχοντες ὑφ' ἑτέρων ὀργίζεσθαι, ταῦτα τοῖς ἄλλοις μὴ ποιεῖν: quod juris illâ axprimitur Regulâ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; quodsi verò hujus calumniis non resista-

mus, dum

mus, dum possumus, ipsi juberemus; id quod sibi fieri nullus sanæ mẽtis optabit, ut scilicet eiusmodi blanditiis nullo monente seducatur. Ne itaq; legum constitutio violetur, prorsus è medio tollendus est JESVS Nazarenus, ut intelligant addicta cohors ejus non immortalitatem, sed mortalitatem, non famæ munitionem, sed minutionem; non regiæ majestatis munus, sed funus, seque in errorum Abysso hæsisse affirment.

PHARISÆUS
Testis primus.

CVm adhibito testimonio, illud, quod ambiguum est, veritate confirmata reddatur elucidius; & quod incertum confirmetur, quod finem non invenit, credatur, Inclite Præses Ponti Pilate, coram te ego rotundo ore, & sincero corde confiteor & obtestor, me Jesum Nazarenum, quem tibi vinctum tradiderunt, ut ad supplicium meritum rapiatur, audivisse, quod qua arrogantia, audacia & animi impudentia nescio jactarit, se templum nostrum Hierosolymitanum longè splendidissimum; à Salomone Rege omnium sapientissimo extructum, à Zorobabele Duce & Josua Sacerdote, reparatum, ab Herode Rege potentissimo ad hanc angustam formam deductum, subitò destructurum, atq; aliud intra triduum iterum ædificaturum. Quantum hinc damni & incommodi sit universo Orienti accessurum, non dico. Est enim templum nostrum totius mundi miraculum, inter omnia miracula, quæ sub Sole existunt, augustissimum: in quo exstruendo tam longa secula, omnesq; thesauri sacri consumpti sunt. Hominem censeo prorsus sui, Deiq; oblitum, qui tam sacram ædem, quod non Judæorum saltem, sed & omnium

omnium populorum Oratorium est, inq; calamitatibus asylum, & pro peccatis remedium divinum & cœleste præbet, destruere audebit. Eum verò quem dicam, qui ejusmodi structuram brevi temporis spacio se dicit posse restituere, & funditus dirutam denuò reparare. Illud Præses Pilate est improbum; hoc mendacium, & anre hoc tempus inauditum. Templum illud splendissimum intra tres dies dicit esse restaurãdum. Sed cum hoc confitetur, hoc commisisse videtur, quod ne mendacio quidem tegere possit. Non quid fecerit considera, Præses, sed quid velit, si possit. Tum domum sanctam, inque honorem & cultum Divini Numinis adornatam tam nefario ausu velle diruere? Quæ hæc amentia? quod hoc consilium tam cupidum, tam audax, tam temerarium? quid hæ minæ? Solus, nullius auxilio adjutus, hoc tam arduum & difficillimum opus est aggressurus, cum Salomon Rex; noster quondam sapientissimus, ad structuram tantam perficiendam multa hominum millia indies aleret, qui lapides comportarent, qui ligna cæderent, qui aurum, qui argentum, qui ferrum, qui alia præpararent? Quid igitur hic nemine adjuvante est effecturus? Considerate quæso ipsum ædificium: excutite vestram intelligentiam: singula diligenter in animum vestrum penitus demittite: & repetieris, hæc omnia ab inconsiderato homine prolata nequissimam ἀθεότητα sapere. Lustrate oculis speciem templi venustam, & formam, capacitatemq; augustissimam varia contignatione distinctã, admiranda arte intus & extus exornatam: Aspicite tabulas cedrinas cælaturis variegatas, laminisq; aureis opertas, Pavimentum auro fulgentissimum, & judicabitis illius iniquitatem, qui templum istud splendidissimum & augustissimum destruere voluit, & inanem verborum iactantiam, qua se dixit illud posse restaurare atq; in pristinam re-

digere

digere majestatem. A majoribus nostris percepimus, Regem Salomonem in hoc templo Dei ædificando, septem annos consumpsisse: Ligna enim, lapides, aurum, gemmæ & aliæ res pretiosissimæ tam diuturno tempore erāt comparandæ, quæ in hunc usum conferrentur. Et si oculis nostris contemplamur, & ad rectam rationis trutinam revocamus miracula ejus magnificentissima, admirabimur potius, quam imitabimur tantum opus, quod vix intra XLVI. annos Herodes rex absolvere potuit: Multum est, quod totam stricturam, ex lapidibus politissimis, ad unguem inter se quadrantibus, & commissuris oculos fallentibus fecerit, ut intuentibus nullum usquam mallei, aut cujuslibet frabrilis instrumenti vestigium, sed connata potius, quam arte congesta appareant. Multum etiam est, quod triplices porticus, quæ columnis binos & vicenos cubitus altis sustinentur, è marmore candido & laquearibus cedrinis porrexerit. Multum est, quod totum sub dio spacium omniū generum lapidibus stratum & variatum fecerit. Hæc non solum magna & splendida, sed & divina artificum ingenia ostēdunt, & omnium hominum captum excedunt. Quid dicam, quod fores, earumq; postes & limina puro argento obduxerit? Quid de amplissimis exedris? Quid de cælaturis, alibi leonis effigie, alibi tauri, alibi lauri, alibi Cherubim alibi Seraphim, alibi aquilæ effigie distinctis? Quid de columellis admiranda arte ornatis, ac puro auro obductis? Parietes cedrinis tabulis auro incrustati sunt: omnia auro renident: nihilque non auro purissimo resplendet, & intrantium oculos folgor undiq; occurrens perstringit. Quid si interiora huius templi cōtemplabimur? Ibi candelabrum, ibi thuribulum, ibi ara, ibi mensæ, phialæ, pateræ, & lances, omnia aurea & argentea; ibi crateres, magni precii, & quid non argenteum, gemmatum, aureum? De acerris aureis,

quibus

quibus odoramenta in templum inferuntur, de batillis, de Sacerdotalibus vestibus in usum Pontificum factis, de talaribus & epidomidibus, de logio cum suis gemmis, de tapetibus & peristromatibus auro & unionibus distinctis, de corona, in qua Dei nomen inscriptum extat, de stolis è bysso factis, verbum non addo: Superant enim omnem calculum, & in supputationem, ob nimium pretium, quo constant, redigi nequeunt Hoc, Dignissime Præses Pilate, tam splendidum & exornatum templum hic homo demoliri conatur, in quod tam multi Reges potentissimi suas divitias & thesauros expenderunt. O quantum damnum! O quanta ruina! O quanta clades, si tam sanctum, & divinum ædificium destruatur & funditus evertatur! Quid est Deo contraniti atq; adversus ipsum cornua erigere, si hoc non est? Domicilium, in quo ipse Deus habitat, evertere, quanta quæso audacia est, quantum scelus! quam inconsiderata cupiditas! Profitetur se esse Dei Omnipotentis cœli, mundiq; creatoris Sapientissimi Filium, & tamen Deo honorem, quem in hoc templo ei exhibemus, invidet. Rex David, vir ad nutum & placitum Dei, ut templum hoc exstrueretur, materiam, lignum, cæmentum, & reliqua, quæ ad hanc structuram requirebantur, comparavit: Sed præliis perpetuis ab hoste lacessitus, filio Salomoni opus absolvendum demandavit. Quæ te igitur furiæ infernales, qui te lemures, quæ insaniæ exstimulant, qui cœco cœcæ pravitatis impetu, hunc splendorem in cinerem conaris redigere, atq; intra tam brevissimum spacium, tanta παῤῥησία, & tanta animi impudentia aliud audes extruere? O factum inauditum! O mendacium impudentissimum! O tetram! O horribilem! O infestã reipub: Pestem, quæ perniciam magnam cum clade conjunctam parit, ac templum Divini Numi-

nis ad exilium & vastationem vocat! Quo usq; tandem sese effrenata tua jactabit audacia? quam diu furor tuus nos eludet? Siccine omnia magna, omnia pretiosissima, omnia diruere machinaris? Vnde tibi tam magni Sũptus & thesauri refertissimi suppetunt, ex quibus tam splendidũ & augustissimum templum possis restituere? An tibi tam magna æraria auro & argento repletissima, ex quibus hujus auri & argenti permagnã vim, gemmarumq; maximi pretij ab mirabilem multitudinem promere possis, ut hunc ornatum restaures? Homo es omnium mortalium pauperrimus, qui nec tantum habes pecuniæ, ut tibi vel vestimentum compares, quo tuam nuditatem detegas, vel restim emas, qua pereas. Sed tu Præses Dignissime Ponti Pilate, cũ cernas causam damnationis & mortis manifestissimam, hujus hominis nefarios conatus & tanti facinoris immanitatem comprime; fac quod ad communẽ Salutem est utilius, atq; de hac pernitiosa sentina poenã sumito gravissimam. Dato eum eò, quo jam pridem sua ipsum cupiditas effrenata ac furiosa rapuit: suspendatur á cruce, ad quam ipsum natura peperit, voluntas exercuit, fortuna reservabit. Ductum ad mortem rapi, atq; supplicio mactari ultimo jubeto.

PHARISÆUS Secundus.

NE quæso, Præses inclitè, ægrè ferto, si pauculis veritati dedero testimonium, adversus eum, qui omnem veritatem planè vult eversam. Etenim quoad longissimè potest mea mens respicere, spatium præteriti temporis, & memoriam antiquissimorum temporum ex certis historicorum monumentis recordari ultimam, inde usq; repetens, antiquos homines & virtu-

virtutibus & viribus longè eminentiores extitisse deprehendo. Ex magno autem numero unum Moysen nominabo, quem si nostri quis fuerit, facile deinde judicabis, quis sit Nazarenus, qui Mosi ausus est contradicere. Moses in Ægypto honoratissimo illo, & amplissimo bonarum artium & disciplinarum amphitheatro natus & educatus, Parentes habuit religiosissimos juxta & piissimos, Amramem & Jocabedem, ex celeberrima inter nos tribu Levi oriundos. Hic quam primum lucem adspexit, in Nili ripâ expositus, & mirificè à Deo opt. max. conservatus, non in caula, sed in aula Pharaonis, qui tunc regno Ægypti præerat, educatus est. Postquam enim parentes hunc filiolum suum per tres menses clam domi nutriverunt, veriti tandem, ne re deprehensa & se & puerum perderent, quia omnes pueros Hebræos crudeli edicto rex morti destinaverat, in arculam è Papyro contextam, ne aqua penetraret, eum indiderunt, atq; ita in flumen projecti salutem divinæ providentiæ commiserunt. Quid fit? agnosce quæso divinam pro suis curam! Thermutis filia regis unica, dum ludit ad ripas Nili, conspicata vas fluitans, missis natatoribus jubet lectulum ad se in ripam extrahi, qui (ut jussum erat) allatus, mirè placuit regiæ virgini, quod esset & magnus & pulcer, eumq; in filium adoptatum regio more educari curavit. Fuit itaq; Moses sub disciplina sapientissimorum virorum, quos Ægyptus habet, omniq; sapientia, non leviter solum tinctus, sed ita imbutus, ut præ omnibus excelleret; Moribus ac gestibus ita svavis ac amabilis, ut obvios quosq; in se converteret, utq; relictis omnibus rebus plæriq; præcellenti eius forma oculos pascere mallent, invitiq; ab hoc spectaculo discederent. Hunc jam à teneris pietatis ac sinceræ religionis ardor totum pervasit, tamq; adver-

ſatus eſt ſuperſtitiones Ægyptiacas, ut & regium diadema, quod rex ejus capiti, ad teſtandã ultimam de ſucceſſione voluntatẽ impoſuerat, pueriliter detractũ, prolapſumq; pedibus conculcaverit, hoc evidenti præſagio & exẽplo demõſtrans, quod nihili faciat omnem hujus mundi gloriam, præ ea quã apud Deum habebat gratiâ. Tanta itaq; in eo cum eluceret indoles, fieri non potuit, quin poſtea res gereret prorſus ſtupendas: Non dicam de bello quod geſſit contra Æthiopes; Non quæ reliqua in florentibus patravit annis. Id dico, quod eum alloquio divino ſæpius dignum habitum Deus, ducẽ Iſraelitorũ tandem conſtituit. Ille celſo & infracto animo in Ægyptum reverſus, ex qua profugerat ad Midianitas, Pharaonẽ plurimis miraculis ac prodigiis terruit, tandemq; potenti Dei manu defenſus omnem Iſraëlis populũ ex acerbiſſima ſervitute, per loca deſerta & invia, invitis Pharaonis magnatibus, invitis & in mari ſuffocatis multis armatorum millibus in loco tuto conſtituit, conſtitutos mirabili prudentia rexit, legibusq; & ſtatutis divinitus acceptis informavit & firmavit, & firmatos nũc pane cœli demiſſo, nunc coturnicibus divino juſſu aliunde advolantibus, nunc aqua ex duriſſimis ſaxis & ſcopulis miraculoſo baculo evocata cibavit, potavit, & contra varios hoſtes fortiter propugnavit, ac defendit. Sacra ſacrorumq; ritus inſtituit, tabernaculum mirabili & plane divina arte extruxit, populum in certas tribus & claſſes diſtribuit. Judices ipſis præfecit, malis pœnas, bonis præmia deſtinavit; illos repreſſit; hos partim ſuis precibus, partim heroica manu defendit: cumq; ſæpenumero cum Deo colloquia haberet ſecretiſſima, in monte Sinai ex ejus ore legem divinam excepit, eamq; in V. libros digeſſit, in quibus tanta latet ſapientia, tantaq; ſcatent myſteria, quæ ab omni ſenſu remota,

omni seculo ignota fuere. Atque ita, inclite præses, summam hujꝰ viri laudem audivisti, qui sua sapientiâ, sua autoritate, suis denique miraculis id perfecit, ut meritò inter divos annumeretur. Habes Mosis sanctitatem: Nunc collige tecum Nazareni impietatem, qui tanto Dei viro se præferre, legibusq; cœlitus rogatis se opponere, eamq; politiam, quæ autoritate ipsius æterni Dei constituta est, convellere audet. Quod Moses jussit, hic abrogat: quod prohibuit, jubet. Sabbatum, diem inter nos sanctissimum, prophanat; Sacris operantes non semel flagris & fustibus è tẽplo furibundo ausu ejecit; Novis & absurdis legibus discipulos suos circumscribit; antiquos ritus & ceremonias sacras posthabet. Multa, ut una verbo omnia complectar, & in Deum & in homines impiè nefarieque commisit, atque adhuc committit. O scelus! O portentum in ultimas terras exportandum! Tu ergo, Præses inclite, hunc Nazarenũ, qui Rempub: conflato seditiosorũ tumultu disturbat, disturba: & vi, studio virtute, autoritate incumbe in publicã tranquillitatem conservandam: Pernitiosam atque intolerandam pestem primo quoquo tempore extingue atq; opprime, omnibusq; inspectantibus in crucem damnatum tollito, meritisque mactato suppliciis.

PHARISÆUS *Tertius.*

NEminem, Præses inclite, scelestiorem, pejorem, & ab omni pietate magis alienũ esse puto, quam qui varias blasphemias eructans, vel ipsum Deum cum impiis Gigantibus cœlo exturbare conatur. Quid enim per Deum immortalem turpius, aut ad famam indignius aut ad utilitatem pernitiosius, quam blasphemias in Cœ-

in Cœli terræq; Creatorem sanctissimum evomere? Facinus, Præses, Facinus inquam horrendum & stupendum existimo linguæ virulentiâ in eum invehi, qui καρδιογνώστης intimos hominum recessus, qui cogitationes, intentiones, consilia haud solùm prospicit, & aspicit, sed & accuratissimè perspicit. Si enim paulò accuratiori mentis indagine consideremus, unde omnia peccata, qui hominē in exitium dant præcipitem, originem traxerint, sanè abominandam Diaboli, humani generis infensissimi hostis, blasphemiam iis causam dedisse reperiemus. Hujus enim veneno conceperūt homines virus, quod non dum concoxerunt, deq; salutis tramite deiecti, exules sunt à vera felicitate. Id vel inde licet colligere, quod hodie num Deus nulla magis re ad iram accendatur, quam si nomini suo impios homines videt gloriam debitam negare. Hos enim tanquam vita & spiritu, quem trahunt, indignos, indignis solet accipere modis & acerbissimo pœnarum genere persequi. Ne verò ex meo quæ dico, fingere cerebro videar, si plures vationes earumq; momenta firmissima, Præses inclite, desideras, nostrarum legum, in quibus æquitatis norma perfectissima, continetur tibi producam autoritatem, ipsaq; librorum divinorum oracula eadem de re tibi exponam, quæ testantur quod is, qui in Deū blasphemus est non deprecandis debeat mactari suppliciis. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis sive peregrinus fuerit. Quo effato quid præclarius, quid dilucidus in hanc meā sententiam, â quoquam dici possit non reperio. Blasphemos jubet Deus enecari; jubet, ne iis præpostera clementia parcamus. Ne autem in hujuscemodi sententiis recensendis prolixus sim, & in iis tota nostra consumatur

oratio,

oratio, aliò me convertam, & exemplis, quod proposui, evincere conabor, & iis quidem non levioribus nulliusve momenti, sed gravioribus, & ad institutum nostrum maximè facientibus. Testis enim est Pharaonis Ægyptiorum Regis historia, qui cum impia hæc in Deum verba profudisset: Quis est Dominus, ut audiam vocem eius, ignoro Deum Israelis, nec Israelitas dimittam; variis plagis, pœnisq; intolerabilibus exceptus, tandem in mari rubro periit. Testis est Israelita ille, qui, ut Moysis scripta testantur, in Deum diras execrationes evomens, extra castra jussu divino eductus miserabili morte fuit extinctus. Testis est Holofernes, Nabuchodonosoris imperatoris quondam maximi Dux bellicosissimus, qui, cum nullum Deum præter Nabuchodonosorem inveniri diceret, nostrumq; Jehovam nec teruntij æstimaret, imbelli unius mulierculæ Judithæ, manu periit; Quid dicam de Rege illo Assyriorum potentissimo Sennacheribo, qui Zedekiæ ætate in Deum minas & contumelias spargens, à suis ipsius filiis internecioni traditus est. Quid de Nabuchodonosore ipso, qui cùm cœlo se stolidus prætulisset, rationis usu amisso, in beluam penè transformatus & ex hominum societate ejectus gramine in morem jumenti pastus est? Has historias Gentis nostræ Judaicæ, Ponti Pilate Præses, alto repete pectore, & quocum tibi jam sit negotium, accuratè considera. Deus ille est, qui injusta punit, & justè facta præmiis afficit: Hunc scias contemptores sui numinis graviter puniturum, mortiq; quin & inferno, ubi perpetua impiis erit lamentatio & ignominia, hostes suos traditurum. Quovis enim Rege sublimior est, & acerbius persequitur eos, quam ullus Regum poterit, quos suæ voluntati, suisq; legibus habet refractarios. Si enim quis peccaverit in homines, placari

cari

cari ei poteſt Deus: Sin in Deum; quis orabit pro eo? Non igitur neglige Nazarenum, quem conſtat in cœlum, in Deum, inq; omnes Dei leges verba blaſphema evomuiſſe? Exſcinde piaculum; exime ex numero viventium peſtem communem, ne quam iram Deum audiiſti exeruiſſe adverſus Pharaonem, Holofernem, Sennacheribum & Nabuchodonoſorem, eandem cum magno tuo malo incurras. Quid enim indignius humana mente excogitari, quid injuſtius ab ullo homine ſuſcipi poteſt, quam blaſphemum ac impium Dei teroptimi hoſtem acerrimo judicio atq; ſeverioribus ſuppliciis dignum nō cenſeri, non judicari, non damnari? Audiimus ſæpenumero, quam contumelioſiſſimè Nazarenus Deo maledixerit; audiimus quam petulanter, & procaciter in eum invaſerit, & ipſum Dei nomen illuſionibus variis irriſerit: nec ſine horrore, & maxima execratione conciones eius impias & prophanas ulterius audire volumus. Præterea quod omnium maximè horrendum & nefarium eſt, hic Nazarenus leges Moyſis, qui vir fuit moribus mitiſſimis, in ordinanda & adminiſtranda republ. nunquam ſatis laudatus, Deo hominibusq; carus, culpare audet, ſeq; Deum profitetur audaciſſimè! O cœlum! O terra! O maria! Quid audio, Pilate? unus eſt Deus, qui cœlum creavit, terram fundavit, maria produxit, homines formavit; & hic impoſtor ſibi gloriam æterni ac omnipotentis adſcribere audet. Tollatur, crucifigatur, pereat. Tunè es Meſſias, qui nos ab hoſtium jugo liberabis? qui nec habes, ubi caput reclines? Tune es ille Monarcha, qui totum terrarum orbem ſit judicaturus? Tune es Rex Regum omnium & Dominus Dominantium, quem jam vincula coërcent, & mortis fauces abſorbebunt? Blaſphemator es, non Deus, nō Meſſias, non Rex; nec dubito, quin

quin ipse Deus ad inferos usq; te sit detrusurus, quam primum hujus sententiâ hic vivere desiisti: Quo enim ore, quâ fronte blasphemias horrendas in Deũ effudisti? quo animo te Deo æqualem constituisti? O mentem! O pectus! O labem omnium morum, & temporum! quæ te furiæ excitarunt? quæ te clementia cepit, ut Deum æternum ignominia afficere coneris? Eone perversitatis ac malitiæ te venisse, ut tantum in Majestatem divinam crimen committere non erubueris? ut te fore judicem vivorum ac mortuorum dixeris? Exaudi, Ponti Pilate, exaudi voces Judaici populi, pro gloria Dei, contra hominem audacissimum depugnantis: hinc honestas, illinc turpitudo; hinc fides, illinc blasphemia; hinc deniq; æquitas, temperantia, fortitudo, Prudentia virtutesq; omnes, illinc iniquitas, blasphemia temeritas, & vitia omnia certare videntur: quibus nisi maturè occurrere volueris, ex hujus hominis doctrina, tanquam omnium malorum matre, non modio aut trimodio sed toto horreo omnia mala in totum terrarum orbem & imprimis in Imperium Romanum promanabunt.

PONT. PILATUS.

PErcepimus vestram, viri optimi, sententiam, hisq; testimoniis (vera si sunt) satis hominem convictum deprehendimus. Ast judicis est, ut antequam condemnet accusatum, de calumnia ei statuat diem, ad probandam, si potest, innocentiam. Neq; etiam quisquam potest vel causam benè, vel homines probè judicare, nisi prius utrumq; litigatorem audiverit: Collatis enim rationibus & causis facilius est judicare, ut ipsi facilè intelligere poteritis. Ne itaq; in audiendo impatiens videar, neve & mihi id, quod olim Philippo Macedoni

accidisse fertur, eveniat, cui, postquam ad disceptandas lites sibi non vacare vetulæ alicui respondisset, ab eadem objiciebatur: Noli itaq; regnare. Ne inquam & mihi jam judicium contra hominem favorabilem, ut audio, administranti idem eveniat, neve iniquè videar sententiam tulisse, ut Reum ac Accusatum Jesum Nazarenum in prætorium adducatis volo, ut ipsius quoq; audiamus, si quam habet, defensionem.

JUDAS.

HEu me miserum! nunc occidi! nunc perij! quis mihi opem afferet miserrimo! Neq; salus ipsa, si velit me respicere, salutarem mihi dexteram admovebit! Ah quanta animum lacerat ægritudo! quantus malæ conscientiæ stimulus me pungit! vix credo Pentheum â Bacchis tàm miserè fuisse dilaceratum, neq; Hyppolitum â Phocis Nerei, neq; á Medeâ Absyrtum, neq; â conjuge Helena Deiphobum, quàm meus animus pessimè sibi conscius me excipit. O me omnium infelicissimum! Satius fuisset, nunquã nascier, quàm tot miserias, tot mala, tot in vita ærumnas perpeti! Nam quid mihi vita prodest, quando sic vivendum, ut omnibus penè momentis supremus dies mihi sit optandus, optatus non impetrandus. Jam canis ille dormiens in occulto pectoris evigilat; jam me vellicat, monens quid rei gesserim. Prodidi Dominum: Prodidi Salvatorem meum, in quo salutis meæ cardo vertitur. Certissimè hic inter probissimos erat primus; animi semper erat puri, simplicis; rerum ad fraudem pertinentium erat ignarus; vitam degebat nulli vitio ob noxiã; rectitudinis tramiti insistebat, pietatem animo inclusam gerebat, & clarè eam verbis & operibus testabatur. Nulla eum impro-

bitatis macula commaculabat, imo integritas vitæ, nullis unquam sceleribus violata, ab omni reprehensionis notâ eum vindicabat. Ah quò me maledicta divitiarum abripuit cupido! Non putabam fore, ut in tantos angustiarum labyrinthos adigeretur meus Dominus. Arbitrabar eum vel verbis suam causam satis tuiturum, vel omnia si defuerint subsidia, miraculo perrupturum atq; ita elapsurum esse. Seriò quidem sed nimis serò mihi facti hujus subit pœnitentia. Ah utinam hic locus esset, unde me darem præcipitem! Utinam hiatus terræ esset, cujus voragini me traderem! Utinam aqua esset, cui me immergerem! vel si horum aliquid fieri nequit, Utinam esset, qui pœnam hujus à me sumat maleficij! Vitæ enim tædium me cepit: spiritum lubet emittere vitalem, & ê molestissimo corporis hujus ergastulo liberari. Sed quid multis querimoniis & lamentationibus me lacero? Satius est, ut XXX. argenteos, pretium illud iniquitatis, Sacerdotibus restituam, meamq; ipsius vitam laqueo infringam.

PONT. PILATUS.

ITa, Caipha vir sanctissime, vosq; cæteri viri ornatissimi, Ita inquã in more hominũ esse positum deprehendo, ut vel turpissimã ac iniquissimã rem honesta præscriptione tegere studeant: Et nemo hominum adeò stupidus ac stolidus reperitur, qui non rei perperam factæ, rectam aliquam possit asscribere speciem. Ast cùm diu non lateant scelera, mox disquisitione accurata adhibitâ, erumpunt ac emergunt. Econtra sœpius usu venit, ut viri innoxij in judicium vocentur, & atrocissimorum scelerum rei peragantur: in quorum tamen vitam, mores, facta si penitius introspexerimus, longè eos meliores

suis accusatoribus invenimus. Hæc quàm verissima sint, non tam probant à majoribus observata exempla, quam quotidiana adhuc evincit experientia. Et hoc ipso momento idem mihi evenire sentio: Hominem enim, quem ut seditiosum, blasphemũ, ac proinde mortis reum proclamastis, post inquisitionem sedulam ac diligentem, nihil eiusmodi patrasse cognosco. Nihil etiam culpæ in eo inveni, quæ mortis supplicio digna videatur. Vana & fictitia omnium fuere testimonia. Seditiosum eum nõ esse in propatulo est, cùm nullis armis aut viribus humanis nitatur. Magnas semper factiosi homines, aut civilium discordiarum autores, tanquam stipatorum catervas, ad nutum armatas copias secum ducunt, exemplo Catilinæ, qui flagitiosorum hominum multitudine undiq; circumdatus incedebat. Hic vero neminem, qui aut eius defendat causam, aut innocentiæ existat testis, habet. Non metum pœnæ; non flagitiorũ conscius, novos Reipublicæ quærit motus. Vitam degit pacatam, ac quietissimam. Nec leges, neq; nostras ab Imperatore & Senatu sancitas; neq; vestras à vestro vobis Moyse præscriptas evertere studet. Quibus itaq; factiosum hunc esse convincitis testimoniis? Fulcienda & corroboranda firmioribus argumentis vestra est sententia. Audivistis omne seditionis crimen ipsi intentatum à se eum depulisse: Mihi certè omni culpa vacare videtur. Ast dicitis, vetuisse tributum dare Cæsari. Ne hoc quidem crimine eum unquam contaminatum ac infectum esse certò constat. Testatur enim, publicè in Synagogis vestris se docuisse, danda esse portoria, vectigalia, tributa. Ipsis vobis quærentibus respondit: Si moneta, qua utimini in Regione vestra, Cæsaris imagine & inscriptione insignita, & ab eodem procusa est, legem naturæ postulare, ut suum cuiq;

tribua-

tribuatur; Cæsari, quæ sunt Cæsaris; & Deo, quod est Dei. His insuper addit, seipsum cum discipulis suis censum non semel persolvisse. Quid vos ad hæc? Seditiosum istum Jesum Nazarenum haud esse censeo. Dicitis Regem se nominasse. Imo audio: Quem verò, agite? Qui Imperio ac vitæ Imperatori nostri Tiberij, insidias struit? Id vero pernegat. Sic enim mihi de nomine eius Regio interroganti respondebat. Non est, ò Pilate Præses, ut vel tibi, vel tuo Imperatori, mea causa metuas. Non enim Regnum meum est mundanum, quod terrenâ colligatur ac stabilitur potentiâ, aut quod externis viribus ac adminiculis administratur, id quod ex reipsa potes colligere. Etenim si Regnum meum se haberet ad modum Imperiorũ hujusmodi, facilè potes conjicere, quod meos habiturus essem milites ac ministros, qui me vi bellica, & armata manu ex Judæorum manibus liberassent. Jam verò contrarium accidit. Cernis enim adesse neminem, qui meas tueatur partes, aut à Judæorum violentia me conscriptis copiis protegat. Nec præsto est, cujus fidei aut tutelæ me committam; Nullum ex militibus mihi unquam adjunxi, nunquam Regiam mihi arrogavi dignitatem, sed â populo Judaico mihi oblatum Sceptrum vel fugâ recusavi. Innocens itaq; & ab omni culpa vacuus à Judæis accusor. Hæc eius fuere verba, quæ egregiam ipsi integritatis laudem ac testimonium pepererunt. Et ab omnibus facinoribus ei intentatis maximè abhorret, ac litem contra vos meâ sententiâ obtinuit. Fatetur se Regem, & in hoc se natum esse confirmat, ut nimirũ veritate Doctrinæ Evangelicæ tanquam sceptro Regio Regnum suum stabiliat, eâq; subditos sibi colligat eos, qui ex veritate sint. Stolidè igitur agitis, quod propter veritatem tam acerbum odium in virum istum alioquin

quin pium ac justum conjicitis. Agite igitur, & si ita libet, ducite ac judicate illum, si mortis reum eum nostis. A me cùm insons deprehensus sit, quem damnare & jus naturæ, & nostræ simul leges strenuè prohibent, liber dimittetur. Aliud si statuerem, facinus ingens ac detestandum, ipsi latrocinio simillimum, committerem. Ne itaq; tam abominando flagitio commaculer, præsertim cùm in nostris legibus utilius æstimetur, absolvere nocentem, quam innocentem condemnare, hunc virum innocentissimum ac justissimum absolvi jubeo. Esto itaq; dimissus.

CAIPHAS.

Quousq; tandem, Præses Dignissime, impietatem nefarij hujus hominis sustinebis? quādiu furor istius nos illudet? quem ad finē effrenata ipsius sese jactitabit audacia? Nihilne te, Pilate, augustissima Cæsaris periclitantis dignitas, quâ, si hic viveret privabitur, commovet? nihilne summa Herodis familiaritas, cujus jam, si Jesum cruci addices, particeps fieri potes, loci apud te habet? nihilne populi Judaici salus, quæ, nisi hic crucifigetur, elanguescet, apud te valet? Tota enim politia Judaica jam periclitatur, seniorum autoritas labefactatur, pontificum consilium repudiatur, plebs non patitur se jure ac legibus regi. O tempora! O mores! Pilate tu hoc intelligis, tu hoc vides: hic tamen vivit; vivit? imo etiam tanquam innocens absolvitur, quò unumquemq; nostrum ad cædem designare possit. Tu autem Pilate Populo Judaico satisfacere videris, si istius furore oppresso prudenter invidiā effugias. Ad mortem te Jesum ex voluntate Herodis jam pridem ducere oportebat: in illum conferre pestem illam, quam in nos

nos diu machinatur. Herodes Tetracha ille ut potentissimus ita justissimus Johannem mediocriter politiam Iudaicam labefactantem interfecit: Iesum vero totum imperij Romani orbem vastare cupientem tu perfers? Nam illa nimis antiqua prætereo, quod homines privati vel propter quasdam seditionũ suspensiones homines nonnullos interemerunt, ne Resp. aliquid detrimenti exinde caperet. Fuit ista quondam in Repub. virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum tanquam acerbissimum hostem coërcerent. Ast nunc patimur hebescere aciem horum autoritatis, & Iesus hicce vivit non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Et quid prohibet, ne Christus crucifigatur? Habes Herodem vehementem & gravem Iesus persecutorem, non desunt milites, non arma, non patibula, non autoritas hujus nostri ordinis. Tu Pilate, ut apertè dicam solus dees; tu id suspendis, imo non solum suspendis, sed intermittere plane cogitas, quod avidè expectat Herodes, qui illum jam dudum ad mortem quæsivit; tu id facere recusas, quod Pharisæi & scribæ, qui, ut jam dudum in malam rem abiisset, votis conceptis expetierunt. Non patiaris Pilate operam tuam hîc illis, qui ad summũ honoris gradum te evehere possunt, deficere, non defugias eorum autoritatem. Nemo sanè tam improbus tam perditus tam Iesu similis inveniri poterit, qui hoc non jure factum esse fateatur. At sunt etiam qui dicant, à nobis illum falso ad te delatum esse: Quod ego si verbo assequi possem: ipsi, ut tibi in manum traderentur & morte punirentur, curarem. Crucifigatur itaq; Iesus crucifigatur, quo populo huic adstanti satisfiat, imperium Romanum sartum tectumq; conservetur, Herodis familiaritas obtineatur, & deniq; à nobis tibi gratia, qualiscunq; ea etiam esse possit, referatur.

PONT.

PErſentiſco ex hac tua oratione, Caipha, te accuſationem tuam certioribus argumentis, ac exquiſitioribus rationibus confirmare ac ſtabilire: Commovet populum, ais, turbatq; pacem communem, docens per univerſam Iudæam: Herodes ipſe hanc potiſſimum ob cauſam eũ ad necẽ quæſiit, trucidato Iohanne Baptiſta, eius præcurſore. Non certè Herodes tanta eſt dementatus imprudentia, ut quid agat ignoret, nec tanta efferatus ſævitia, aut crudelitate, ut condemnet inſontem. Ego nihil harum rerum inveni, quarum eum reum agitis. Si autem Herodes eum ſcelere aſtrictum, ac facinoroſum noverit, agite, vos tres viri, ſumite ac ducite illum ad Herodem Tetrarcham: commiſſus eius eſto poteſtati; agat cum ipſo, utcunq; velit. Mihi certè juſtitiam colenti; boni & æqui rationem profitenti; æquum ab iniquo ſeparanti, licitumq; ab illicito diſcernenti, haud conceſſum ac licitum eſt, inſontem ad ſuplicium rapere. Repugnat hoc inſtitutis noſtris; Iuſtitia etiam, vivendi illa ars ac diſciplina, huic rei ſtrenuè contradicit: Id enim honeſte eſt vivere, ſi in cæde ac ex cæde continua vivo, inq; flagitiis execrandis ac abominandis libidinem exerceo? Id neminem lædere, cùm innocentem communi luce privo, ac ex viventium tollo numero? Id unicuiq; ſuum tribuere, cùm non tantum alicujus abſorbeo bona, verum & vitam ipſam rapio? Id ſolium ac tribunal juſtitiæ decorare, cum omnibus juſtitiæ legibus poſthabitis, ad arbitrium iniquum, controverſias iniquè revoco? Res eſt prorſus ardua ac difficilis, qua nihil omnino exiſtit periculoſius, de ſanguine hominum judicare. Nihil gravius, ac moleſtius, quam adminiſtrare Iuſtitiam: Ubi ante omnia in id unicè incũbendum videtur, ut vim atq; inju-

in juriam propulsemus, neque aliter judicemus, quam aut legibus aut constitutionibus aut moribus proditum est; ne nobismet ipsis animæ ac conscientiæ stimulum, chalybe ac ferro duriorem, aut aspidum morsu nocentiorem injiciamus. Cæterum ut efferus ac dirus habetur, qui justitiæ leges ferox conculcat, ita pavi ratione, si jus ex hominum tolleretur societate,

Vinceret immanes barbara vita feras.

Quare nostrum est, cùm propter nos ipsos, tùm propter reliqua nostræ civitatis præclara facinora, operam dare, ut ostendamus ac contestemur omnibus hominibus, nos & antea, & nunc, imo semper fuisse, ac esse, Juris & æqui studiosos. Rectè semper judicare par est & εὐνομίαν illam æquitatis amantissimam plurimi facere, quæ omnes & urbes, & Regiones conservat, simulq́; inexorabilem venerandamq́; justitiam colere, quam Orpheus is, qui sacratissimas ceremonias nobis tradidit, juxta Jovis summi Dei solium assidere, & omnium hominum facta cernere dixit. Non parum autem me jam stimulat dolor, quod festum hoc vestrum Paschale, viri Judæi, tanta statim obruatur difficultate, ac publica vestrarum omnium lætitia tristiori funestetur materia, vosq́; ipsi hominis innocentissimi necem adeo pertinaciter expectetis ac postuletis. At novi ingenij vestræ pertinaciam quavis cote duriorem: Novi animi vestri inconstantiam. Non enim cœlum magis varium, non fretum vel Euripus magis incertus, non ventus instabilior unquam vobis extitit: Semper enim animus vester novis studet rebus; Quem paulò antè ut Regem salutastis, (quam tamen dignitatem haud voluit recipere) nunc mihi vinctum & crucifigendum traditis. O hominum perversitas, ô mortalium iniquitas;

Victa jacet pietas, & virgo cæde madentes
Ultima cælestum terras Astræa reliquit.

Desistite igitur, viri Israelitæ, ab ejusmodi flagitiis: Desistite, inquam, ab omni injuria, ac mementote sæpius in inferentem eam redundare.

Circumvertit enim vis atq; injuria quemq;,
Atq; unde exorta est, ad eum plerumq; revertit.

Expectandum vobis semper est, si quid malè feceritis, vos quoq; malum aliquod passuros esse. Sæpe enim in magistrum scelera redierunt sua. Rejicite itaq; atrocia consilia, vobismetipsis nocentissima: fugite motus, qui inImperium Romanum, nisi caveritis, redundabunt. Id agite ut redux Justitia, virtutum omnium mater ac Regina, in hisce vestris provincijs sanctiori colatur devotione. Virum itaq; piissimum Jesum Nazarenum dimittite, ac veræ æquitatis vos esse studiosos declarate: Nolite hujus sanguine jam ante turbatam gravare conscientiam.

PHARISÆUS
Primus.

REx Serenissimus & Potentissimus HERODES, te, Inclite Præses Pilate, suo nomine plurimũ salvere jubet, ac tibi omnia fausta & læta precatur: JEsum verò sibi transmissum ad te remittit, ac simul annunciat, magna voluptate & gaudio animum suum fuisse perfusũ, ac incredibili quodã lætitiæ œstro pectus suum percitum, quod hunc hominem, cujus videndi diuturna cupiditate hactenus fuisset detentus, quiq; suis præstigiis, mortuos resuscitando, cœcis visũ restituendo, surdis aures recludendo per omnes terræ plagas inclaruisset, cernendi sibi copia data fuisset. Insimul annunciat, Jesum, omnia Pythagorico silentio involvisse, & ad illa, quæ ei obiecisset, nullum omninò verbum respondisse. Tuæ igitur voluntati, Spectatissime Præses, omnia voluit committere, ut secundum le-

gum

gũm vigorem & tenorẽ rem dirigas, & vel insontem judicio absolvas, vel nocentem supplicio afficias digno. Tu ergo, Dignissime Præses Pilate, cum jam non sit lenitati locus, sed severitatem res ipsa flagitet, huic homini, qui non solum contemtor legũ nostrarum est, sed & cum maximo & publico scandalo conjunctam vitam agit, poenam infligito debitam. Age, præbe te virum, & secundum Justitiæ regulas, & præscriptum jus, quod nec in flecti gratiâ, neq; infringi potentiâ, neq; adulterari pecuniâ debet, atrocissimum & nefandum scelus punito. Nisi enim hoc malum exstinxeris, ac Jesum hunc, pestem nobis nefariè molientem, templumque nostrum splendidissimum destructurum ad ultimum suppliciũ rapueris, jam pernicies à monstro illo ac prodigio moenibus ipsis intra moenia parabitur: Nisi inquam acriter in illum animadverteris, sed mitiores poenas in tantum Legum nostrarum constitueris, exitiosam cladem nobis ipse inferes.

PHARISÆUS
Tertius.

VErba desunt, Præses Inclite, nec se animus explicare potest, ingenti horrore circumfusus ac debilitatus, quod tanta scelera in Deum commissa sint impune, & Justitia omnium Domina & Regina virtutum posthabeatur. Nonne detestandum, quin & deplorãdum, quod virtutum mater funditus ex consessibus perit publicis? Hæc enim õnis felicitatis fons est & origo, à qua in õne hominum Genus leges & jura manarunt, quæ benefactis honores & præmia, malefactis ignominias & supplicia proponit, studia honorum excitat, malorum improbitatẽ coercet; qua sublata non domus ulla, non civitas, nõ ipsa deniq; universitas stare ac tueri se punctum temporis potest.

 test.

test. Tolle ex urbe ignem & maxima oriuntur mala; sic tolle justitiam, ac omnia perdita esse deprehendes, omnia mala, omnia dãna videbis introducta, multos in omnem pernitiem præcipitatos cernes. Justitiam ergo ad cœlum usq; evehendam esse & ut omnes virtutes in se continet, ita salutem, incolumitatem, bona deniq; omnia in se complecti, omnes uno ore mecum affirmabitis, tu imprimus, Ponti Pilate, à quo jam sum̃opere petimus, quoniam spes opesq; nostræ omnes in te sitæ sunt, ut cum Herodes, suũ officium propter silentiũ Jesu non fecerit, tu tuũ ne intermittas. Missus enim es à Romanis, ut judicium exerceas, ut delicta punias & blasphemis sceleratisq; mortis supplicium inferas. Cur ergo renues, capitali animadversione punire, quem omnes pœna dignum existimamus? Cur non vi in Jesum, quem falso nominant Messiam, invadis? Propera. Quid cessas? Omnia consilia in imperiis ac judicijs constitui ita debent, ut, quoad fieri possit, honestas nullibi negligatur, virtus excolatur, infamia & labes omnis repellatur, blasphemi elimmentur. Quod si curatur, Respubl: optimo rerum successu fruitur; Prudentiæ leges, quæ docent cautè omnia declinare mala, observabuntur; Justitia coletur, quæ vera seligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, malos suppliciis meritis afficere jubet; Omnes denique virtutes, qui vitiosi animi desideria castigant, apud nos in maximo erunt pretio, turpes cogitationes removebuntur, totaq; mens ab omni semper tempestate vitiorum defendetur. Christus ergo meritis ut afficiatur pœnis, justum judico: Huic enim parcendum esse ne tibi persuadeas, Præses. Officio tuo strenue fungere: nulla enim misericordia; nulla condolentiâ esse dignum arbitror, qui facinore stupendo & ab omni humanitate remoto, Deum se ausus est nuncupare. Hunc enim si extremo suplicio

ſubtraheres, vel ipſa juſtitia & æquitas clariſſima hac voce te inclamaret? Judex, quid agis? quid cogitas? quid ſentis? quid dicis? quid pronuncias? lancem meam itane dirigis? itane normam meam flectis? Itane æquitatis amuſſim intelligis? hoc tibi leges? hoc tibi decreta? hoc tibi ſentētiæ meæ, loquuntur? hoc ſentiunt? hoc innuunt? ut hominē tam blaſphemum, tam contumacem nullis pœnis afficias; Nec ulteri? miracula, quæ feciſſe dicitur, reſpice. Hæc enim non ex ſe ſed ab alio, neſcio quo, cacodæmone, certè à Beelzebub eum edoctum ſcias. Quare perge, præſes juſtiſſime, perge inquam & hunc virum peſſimum è vita, omni procul miſericordia remota, tolle. Nam quid quæſo legibus magis conſentaneum, quā ejusmodi homines maleficos & leves poenis atrocibus afficere, eosq; ſupplicijs exquiſitiſſimis mactare? Dubitas adhuc, eum pacis conturbatorem eſſe? dubitas abhuc eum, ut morte puniatur dignum eſſe? dubitas abhuc, an juſtè interficiatur? Neminem ſane ego rerum judico tam ignarum, tam rudem, tamq; inſipientem, qui mecum nō ſtatuat, quod qui Deo, qui majoribus, qui legibns, qui ipſi Cœlo nuncium miſit, indign? etiam ſit, qui hac in terra vitā inter homines colat. Hæc enim eſt non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex naturâ ipſâ arripuim?, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut in Deum, & naturam contumelioſi à medio tollantur. Nec enim juſtius quicquam eſt, & rationi noſtræ magis conſonum, quam tollere eum, qui verbis, & operibus negat æternum Deum. Sed quid ego plura de illius in Deum maledictis, aut de aliis ſceleratè factis, cujus manifeſtè cognita eſt improbitas? Quapropter, tolle Jeſum, Pōti Pilate; tolle & crucifige Nazarenum, ſi vis Deo gratum præſtare officium. Exemplum

 ſtatue

ſtatue in homine lucis uſura indigno, ut alij hinc emendati, leges firmius obſervent, & Deum ardentius venerentur. Quod ſi feceris, ſummis laudibus ad Cœlum usq; eveheris, & alij pœna deterriti à ſimili maleficio deterrebuntur.

PONT. PILATUS.

MAgnum certè, viri Iſraelitæ, & abominandum eſt vitium injuria, cujus modus eſt nullus. Nunquam requieſcit: ſemper in præceps progreditur, nec niſi exitio ſuo deſinit: tantum porro malum eſt, ut injuriâ affici præſtet, quam inferre illam. Hoc namq; animo; illud detrimentum pecuniis parit, & ſi ulterius progreditur, bonæ famæ. Etſi autem durum & Sardois herbis acerbius eſt, perferre injuriam ac tolerare, ut ſcitè ac prudenter Chilo interrogatus interroganti, quid difficile maximè ſit, reſponderit: Arcana reticere; otium rectè diſpenſare; injuriasq; tolerare poſſe: magni tamen animi eſt, ad injurias aliorum immoto perſtare animo. Quod quidem feciſſe Jeſum Nazarenum præprimis deprehendo. Omnes enim veſtras accuſationes, ut ut iniquos æquo animo perferebat, in memoriam fortè illud tritum ſibi revocans: Regium eſt, cum benefacias, malè audire. Vobis quidem adhuc reſtare videbatur Herodis nomen; quo quaſi in portum rejecti, à cæteris ſuſpicionibus confugere poſſetis. Sed apud illum ejusmodi ſcopulum offendiſtis, ut non modo ab iſto crimen reſilire videatis, verum omnem etiam injuſtitiæ ſuſpicionem in voſmet ipſos recidere. Detuliſtis enim mihi hunc hominem, quaſi avertentem populum: & ecce nullam mortis cauſam invenio in iſto: ſed neq; Herodes, quem veſtræ iniquitatis promotorem ac defenſorem credebatis, ſub cujus ditione natus & converſatus

eſt,

est, & cui plus juris est in hunc virum quam mihi, nihil morte dignum in ipso deprehendit. Quare insontem dimittam. Cum verò legi vestræ, divinitus (ut dicitis) traditæ, contradicere, vestramq; doctrinam aliquo modo sugillare ausus fuerit; fustigationibus plectetur, & ita emendatus dimittetur. Porrò cum in more positum sit, ut festo Paschatos captivus dimittatur, utrum dimittam cupitis? Barrabamne liberari vultis, latronem crudelissimum, pacis publicæ turbatorem, hominẽ undiq; gladiis & sagittis cinctum, vultu necem spirantem, minas voce frendentem, paratum & expeditum ad vim ipso momento vel inferendam, vel depellendam; virum Perillis tauro, Busiridis ara, ac Diomedis equis dignissimũ, cui deniq; Vulcanus, Sol, Luna, Dies, Dij quatuor, scelestiorem nullum illuxere alterum? an verò Jesum Nazarenum, virum placidissimũ, qui cæcis oculos aperuit, mutis usum linguæ reddidit; surdos audire jussit; mortuos ex inferis vocavit, vobisq; omnibus salutem, peccatorum remissionem & perennem vitam pollicetur?

CHORUS.

Barrabam: Barrabam: Barrabam.

HANNAS.

COgitationes istæ de JEsu, in puncto Calumniæ accusato, dãnando animis populi ita insederunt, ut nec Herculis clavâ ejici; ita inhæserunt, ut nec Æsculapij pharmaco evelli, ita deniq; confirmârunt eos, ut nec Moly, herbâ illâ, quâ Ulyssis socij è porcis in homines sunt conversi, expelli possint. Hic verò illud nobis accedit in commodi, quod Romani, imperio nostro omni sibi vendicato, potestate capitalis supplicij inferendi ñobis ademerint. Ne tamen varijs hominum corruptelis no-

lis nostra hæc Politia labefactetur, & turpissimum Hæretici & Calamniatoris hujus venenum in venas vulgi rapiat: agedum, Præses inclite, secundum legem nostram per te, cui nobis ademta potestas commendata est, damnetur & judicetur Jesus ille, cujus pectus tanto impudentiæ callo obduruit, quemq́ue tanta superbiæ prurigo palpitat, ut blasphemo & durissimo ore se Filium Dei dicere non erubuerit. Non tantum injuriosus fuit in humana, sed & divina præcepta & instituta. Ergòne pateremur hunc virus suum ubivis gentium amplius spargere, quem Divina crucidandum seriò præcipit vox & voluntas? Hoc non esset hæreses novas contemnere, sed in delicijs habere; nõ extirpare, sed instaurare; non abolendas, sed propagandas putare. O absit absit (inquam) hoc signum ἀσεβείας certissimum, indicium levitatis evidentissimum, argumentum inconstantiæ uberrimum! Ad extremos Garamantas & Indos ablegetur isthæc legum violatio. Damnetur lege, quæ etiamnum nobis suppetit, blasphemus iste Homunculus. Verbo dicam, præses potentissime, tuã testor conscientiam, ne quid hâc in re exequendâ gratiæ ergo intermittas, neve fascinatus & dementatus à Reo videaris.

PONT. PILATUS.

NOn certè satis demirari queo animum vestrum Judæi, excetra pertinaciorem: Turpe autem est, & me Romanisq; viris indignum, ordinem æquitatis vestri causâ deserere, quem majores nobis tradiderunt. Vos deplorandam impietatem omni integumento remoto in apricum protulistis, & Barrabam hominem sceleratissimum, homicidam, seditiosum, & famosum suis criminibus, quiq; in seditione Hyerosolimis coorta, cædem non unam patravit, hunc inquam virum

rum sceleris nefandis coopertum, pessimisq; flagitiis notatissimum, ac insignem maleficum liberari vultis; Jesum verò innoxium damnari. Quid autem faciam cum viro justissimo, ac intra tranquillitatis limites sese continenti.

CHORUS.

Crucifige: Crucifige.

PONT. PILATUS.

CUm igitur improbis clamoribus me ita defatigaveritis, damnatus esto: Traditus sit vestræ libidini: crucifigitor: Ducitote illum: Ego verò innocens sum â sanguine hujus justi. DECRETUM EST. Sed proh Deum atq; hominum fidem! Agnosco viri damnati innocentiam & eius statum, vitam, mores, miracula, accuratiori rationis lance pervolvens ac ruminans, innoxium deprehendo: Omnia enim Pharisæorum ac Scribarum testimonia, non tam ipsius innocentiæ detrahebant, quam eam insuper cumulabant: quóq; magis accusando instabant, eo minus contristabatur: me etiam ipsum, quare se non defenderet, quærentem, nec verbo dignatus est, sed diuturno suo silentio magis magisq; contestabatur innocentiam, & silendo tanquam manifestissimo indicio, sese excusabat: juxta illud Poëtæ:

Loquitur taciturnus satis animus innocentis:
Excusatio maxima fit pudor silentis.

Haud certe satis mirari possum tantam in viro animi magnitudinem: Adeo enim constanter suæ adhæsit sententiæ, ut mori mallet, quam ab eadem dimoveri. Ab omni criminis culpa vacuũ fuisse, in propatulo est: Neq; enim ego, neq; Herodes ipse quicquam morte dignum deprehendimus. Huc etiam accedit conjugis meæ som-

nium, expressum eius innocentiæ testimonium, nec omnino à sapiente rejiciendum, juxta illud:

Nec tu sperne piis venientia somnia portis:
Quum pia venerunt somnia, pondus habent.

Cùm autem hæc Jesum Nazarenum meo jussu flagellari, contumeliis affici, & tandem cruci addici, intelligeret, misso ad me ministro, missum facere Jesum justissimum virum jussit, cujus causa anxiam & inquietam noctem habuisset. Obstupui, steteruntq; comæ, vox faucibus hæsit. Sed ô execranda ac detestanda Judæorum malitia! O tetra illa monstra, quorum vitam indignissimam, factumq; deplorandum orbis fere universus execratur ac damnat! O scelus inauditum! O facinus atrocissimum! In aliis commiseratio erga insontes magnam vim habet, magnam necessitatem sibi vendicat, magnam religionem possidet: in hoc vero monstro, (populo inquam Judaico) nulla est humanitatis scintillula, nulla dilectionis & amoris flammula, nullum naturæ incendium: nihil illic sanguinis valet communio, quæ ipsorum pectora ad misericordiam flectere posset. Etenim hominem, istum ex Davidis ipsorum Regis olim divinissimi stemmate oriundum, vel innocentem morte acerbissima excruciant. Væ autem mihi, & iterum væ mihi misero, qui in hanc ipsorum malitiam consensi, ipsumq; eorum commisi potestati. O utinam uxoris monita secutus fuissem, quæ tunc pro commento muliebri habui. Nunc quò me vertam nescio, aut cujus potissimum auxilium implorem. Mortaliumne? vana illa sunt, nec inquietam meam possunt sedare ac sanare conscientiam. Quò me itaq; conferam? ad Deosne? Minimè: irati enim infestiq; & illi sunt. Perij ego hercle. O Jupiter, ô Apollo subvenite quæso mihi atq; me adjuvate! ingens scelus & flagitium à me patratum

tum atq; commissum est. Malum etenim est injustè agere: Sed injustam ferre sententiam longè adhuc deterius est: Illud enim spem auxilij relinquit ab eius misericordia, qui injuria est affectus: Hoc vero hanc ipsam spem aufert, injustumq; facto corroborat. Quare semper mihi magnum erit metuendum malum: & vereor, ne quid grave ac asperum in me statuant Dij, qui iniquam in divinum hominem tuli sententiam. Iterum iterumq; væ mihi! Alios ut injuriam fugiant monui; ipse autem intuli. Sed quid excrucior? Nihil proprio nisu à me patratum est; & quicquid egi, coactus ac necessitate impulsus feci. Metuenda enim mihi semper fuit populi seditio, Cæsarisq; odium. Absit autem a me, ut ipse seditiosus sim, qui turbatores populi coërcere debeo. Neq; etiam leve quid, Imperatoris amittere gratiam: Hinc sedulo ea omnia mihi præcavenda erant, ne universæ Romanæ Reip. salus periclitaretur, & defectionem molirentur Judæi. Quicquid rei sit, ego commisi consentiendo, quod nunquam eluet vel continua animi hujus pœnitudo.

MILES,

IRascor mehercule, doleo, miseror Iesum, omnis humanitatis plenum tam crudeliter intus ad ludibrium expositum ignominiosum, flagellis scissum, coccineâ chlamyde circumdatum, spinis aculeatissimis coronatum, arundine ludicrâ donatum, facinorosissiime adoratum, sputorum sorditie devenustatum, quem tamen non actæ turpitudo vitæ, non depravatæ ætatis malitia, sed invidia, sed furor malevolorum opprimere conatur. Quæ omnia si considero, non possum n onfacere, etsi nos milites ad lacrymas haut sumus proni, quin ipse lacrymas fundam, atq; condolentiæ ergo questus ponam. Prætorium

in ductus Jesus accusationibus lacessitur falsis: Ligatis pedibus manibusq; flagris corpus innocuum vulneratur: Tunduntur terga ejus crebris ictibus: Flagris incedens tardius castigatur: Loris jam debilitatus, viribus ac sanguine exhaustus impellitur, laceratur, ac subinde cespitans atq; deficiens conculcatur. O crudelitatem in flagellando! ô scelerum furorem in castigando! Quis credidisset Regis istius, uti se vocat, spiritualis, qui tot miraculis tam stupendis tam divinis paulo ante eminuit, corpus plus quã cruentè scindi? Quis putasset crura ejus innecti laqueo, nodoq; astringi plantas atq; rudenti ligari? Nonne nefandum vobis videtur facinus, quod corpus illud pulcerrimum cœno, sordibus, doloribus, vulneribus ac cruciatib⁹ obijciatur? Hoccine est regium dominium, si furiosi hostes membra carpunt? Videte jam Thaumaturgum hominem flagris concisum: Conspicite sæva plagarum feritate dilaniatum. In dirâ hac laceratione non flere belluinum esset: In tantâ tamq; ingenti ac contumeliosâ flagellorũ atrocitate lacrymas, sistere, à rupibus, non ab homine sperari posset: Horret meminisse animus, & dicere formidat Oratio, qua ratione Prætor, cum taceret JESUS ad accusationem Judæorum, fervore iræ correptus in hæc prorupit verba: si tanta, inquiens, callum pectoris prædurat obstinatio, nec me dignaris verbo, jam plagas mille geres, morti ipse tradendus, & si minus volueris, per õnes artus lacerandus ruptam minutis punctis auferas cutem. Ad hæc cum miser responsum dedisset, seq; Dei filium vocasset, lictor corpori inhians pio, viscera mox dilacerat sobria. Innoxium omnes adstantes percutiunt, quibus ille innocens prostituit corpus, nec faciem ab increpantibus se divertit. Verum truculentissimi Judæi ne hoc quidẽ contenti supplicio sunt, omnino abolitam volunt ejus

memo-

memoriam, qui innocens est, & nihil in se habet neq; criminosum neq; iniquum, nisi adversariorum odio invidiaq; confictum. Grande sanè mundo spectaculũ, quod à servis Princeps ac vindex, uti fatetur, libertatis servilibus modis concidatur; Judex eum flagris adjudicavit, sed innocentem: cum alioquin Judæos tantâ invidiâ in Christũ debachantes nullâ Eloquentiâ, nullis blanditiis cohibere posset. Proinde ut majus periculum evitaret, pronuntiavit Christum flagellis esse cædendum, si forte hoc supplicio exsatiati mentis suæ furorem remitterent. In ipsâ flagellatione denudatur corpus Jesu tenerrimum: postea alligatur ad columnã, laceraturq; undiq;. Omnia ille patienter tulit, & ne verbo quidem patientiæ leges transiliit. Cum in ipso à plantâ pedis usq; ad verticem capitis non esset sanitas, taciturnitate omnia suppressit. O insignem hominis patientiam! Instar vilissimæ aquæ sanguis effunditur eius, & tam prodige fusus mihi perpetuo versatur ante oculos. O tolerantiam! Vulnera eum tenent ab hostili manu & ferro data, & nihil præter livores videntur, & fragmina verius, quam cutis. O constantiam! Tot repetitis vicibus iterati furores, crimina criminibus, flagella flagellis innectunt. O sustinentiã! Magnum quidem constantiæ ac patientiæ exemplum mihi nuper Judæus narravit in Jobo, quem Cacodæmon frustra tentaverat, cum nec damnis, nec ullius ruinæ amissionibus, nec corporis conflictationibus succideret, & immundam ulcerum redundantiam magnâ æquitate distringeret, solo sterquilinio suo dives, omnium tentationum jaculis loricâ clypeoq; patientiæ retusis. Post quæ tamen & corporis à Deo integritatem recuperavit, & quæ amisit, reduplicata possedit. Eodem modo vinctus Jesus, multisq; concisus modis patienter omnia tulit. Ad finem

jam

jam perductis flagellationibus, vix homini similis visus est Iesus. Chlamyde coccineâ & arundine oppugnatur eius innocentia, illuditur eius simplicitas amictu versicolori, mendacijs & fraudibus opprimitur veritas. Calones ac servi innocenti insultant. A lictoribus ac fæce nebulonum vir divinus exagitatur, cujus quis satis exprimet dolorem? Vide spectaculum à seculo non visum, nec auditum. Nisi ipse vidissem, cui crederem? Miserabili & contempto habitu producitur innocens Iesus: Quis non condoleat? Spoliat eum militum cohors nefanda, ut contemptus abjectusq; à cœtu irridentium habeatur, probrisq; & salibus exponatur: Quis non moveatur? Mimi instar attritâ togâ circumdatur, nec flagellorũ acerbitas nec vinculorum duritas sufficit, sed contemptui etiam traditur eorum. Non possum jam mihi hoc loco temperare, quin Iudæorum reprehendam levitat. Qui iis antea tot beneficia exhibuerat, eum jam despiciunt, contemnunt, rident. Ah inauditam ingratitudinem! Qui se protectorem salutis omnium dicit, is à se amatis contemnitur. Non saltem undiq; adstant crudelitatis administri, qui ferreis pistillis eum contundunt, carnem lacerant, corpus universum frangunt. Sed & sarcasticè jocando contumelias in Christum effundunt. Attamen eum nec periculi tempestas, nec facetiarũ aura, nec contẽptus, nec metus potuit frangere. Et quicquid est, unde desperatio nasci possit, id in eius animo nihil habet loci. Coronâ spineâ induitur, non ex aureis filis sericoq; fulgente, nõ varijs floribus, non multicolore, non bysso tenui prætexta, non croceo flore lutea, non roseo rubore flammida, sed aculeata spinis. Hac quia se publicè regẽ vocasset, publicè ornatus est. Regni hujus mundani coronæ partim sunt ferreæ

reæ, partim argenteæ, partim aureæ, quibus significatur regnū hoc constare splendore ac nobilitate: Sertū verò Christi spinis & afflictionibus cōstat. Coronâ non ornatus aureâ incedit, verum spineâ. Ex capite eructat undequaq; stigmata undā ferventis sanguinis, inq; terga fundūt vaporū cruentorū flumen atq; latè æstuant. Quæ cautes hoc perpeti spectaculū? Quis ferre possit, quoties capiti corona aculeata impacta est ac impressa? Non fulmine tactos, qui Dominū suum tam spinosè coronarunt, mirum est. O amorē! O ardorem! Quid dicā? Væ malè feriato populo & cordibus oblitis beneficiorū! Hæccine ei gratia rependitur, cujus omnes curæ, cogitationes, vigiliæ in utilitate vestrâ defixa erāt, ut eum hoc coronâ donetis? Hunccine Regiū verticem ita coronatis, ut spinas intexere audeatis capiti? Quæ hæc est species hominis? Caput quæro, & nihil præter horridas spinas reperio, & stantis jam ac emortui sanguinis digitales grumas. Ubi comæ capitis? Cadaveroso sanguine implexas video. Edisseretis mihi, quæso, & dicatis velim, quid rei, quid causæ sit, quod tā gravibus insectemini eum bellis? Vel quas eius continetis offensas, ut ad eius nominis mentionē rabidorū pectorū effervescatis ardoribus? Nunquid regiā sibi vendicans potestatē terrarū orbē legionibus infestissimis occupavit, & nationes sibi quasdā cervicibus subjecit subjugatis? Nunquid ardoribus avaritiæ flagrās, universas opes illas, quibus genus humanū studiosè contendit impleri, possessionis suæ mancipio vendicavit? Nunquid libidinum cupiditatibus gestiens pudicitiæ repagula fregit, aut alienis furtim insidiatus est matrimoniis? Nunquid arrogātiæ supercilio tumidus injurias ac cōtumelias vobis irrogavit? Nihil horū patrasse hominē sanctū scio! Et vos tamē Judæi convellere, dilacerare, si possitis, vultis Jesū, imo, si liceat, belluarū agrestiū ritu cruētis oribus mādere, cōminutis eū ossibus devo-

devorare. Non satis erant immitia & qualia nulla retro secula viderunt flagra, nisi & spurcum blasphemiæ spiritum sacrilego ore evomeretis, caputq; spinis redimitum odio persequeremini extremo. Cujus capiti debebat aurea magni ponderis corona, admirabili opere perfecta, multis ingentis pretij gemmis unionibusq; collucens imponi, ille spinis devenustatur & vulneratur. Cui sertum aureum, laureum, nobilissimumq; debebat dari, ei in contemptum multitudo spinarum infigitur. Sed ille patiens omnia sustinet: nec sui immemor est, cum omnium furor adeò exarsit, ut eum post tot verbera, vexationes, ludibria calumniis convitiisq; lacerarent, mendaciq; atq; venenata lingua falsisq, accusationibus innocentẽ, fortunis omnibus exutum, opprobriis afficerent. Veste enim joculariâ amictus & coronâ redimitus ludicrà, vario scommatũ genere illuditur, & vepres pro coronâ, pro sceptro regali arundo ei donatur, perq; ludibrium tanquam regi genua flectunt, eum salutant, atq; fucatâ adoratione colunt, verbera verberibus cumulant, sputa in oculos jaciunt, calumniisq; dominum lancinant. Hæc scilicet est gratia, quam Domino & Magistro suo ingrati rependunt Iudæi. Hos ille sapientiam variis concionibus docuerat: Cæcis eorum visum, surdis aurium usum, mutis loquelam, mortuis vitam restituerat. Sed sceleratissimi homines benefactoris sui vitæ ac saluti invident. Mihi equidem hæc tanta maleficia displicent, & nescio quo stimulatus genio huc processi, ut quam non probem sodalium meorum in Iesu exagitando, flagellando, vulnerando improbitatem, procul ab ipsis remotus contestarer. Parum abest, quin me afflictissimi Iesu confitear discipulum. Sed comprimenda lingua est. Præses exit, cui ipsi admodum importunitas Iudæorum displicuit.

IOHAN-

JOHANNES.

VAh, quàm impie, quàm ſcelerate, quàm flagitioſe Magiſter ac Doctor noſter ab impijs Judæis eſt ad mortem damnatus, ad ſupplicij locum eductus, in crucem actus! Quamprimum enim ingentem in urbe tumultum excitari cognovi, præſenſi, quid futurum eſſet. Et ex latibulo prodiẽs, Dominum meum, Magiſtrum meum, Mundi Servatorem, Meſſiam populi, video nodoſis vinculis conſtrictum, & crucem, ad quam condemnatus fuit, lignum ſane grande & plus quam decumanum, humeris undiq; laceratis portantem. Quanquam autem ſtatim animus præ ingente dolore me deſtituit, collegi me tamen, ultimò ſpectaturus Dominum: qui nullum jam ulterius præ ſe ferens dolorem, alios ſolabatur, ſeſe ſequẽtes, & ad conſtantiam hortabatur. Ventum eſt ad Golgatha: Ibi ſceleratiſſimi latrones ſanctiſſimum Domini corpus humi proſtratum extendebant: claviſq; trabalibus manus pedeſq; transfixos ad ſtipitem affigebant: inter medios latrones, homines ſceleratiſſimos erectum Chriſtum ſtatuebant. Ille non ſui, ſed aliorum memor, pro illis ipſis, â quibus crucifigebatur, preces ad patrem cœleſtem fudit: Et Pater, ait, Remitte illis: Quid enim faciant, & quantum ſcelus committant, ipſi ignorant. Deinde cum ab altero latrone ludibrio haberetur, ab altero, ut ſe æterni regni heredem faceret, rogaretur (inter duos enim ad ſuppliciũ damnatos medius cruce affixus pendebat) juratus affirmavit, fore, ut ſecum in Paradiſo hoc ipſo die deliciaretur. Et mox converſus ad matrem virginem Mariam, mihi eam tanquã ultima voluntatis diſpoſitione commendavit: Ego verò, dolorem, quem hinc concepi, ulterius non ſuſtinens, hûc me contuli, ut triſtiſſimo ſpectaculo oculos ulterius & ani-

mum ne læderem: præsertim, cum se sitire diceret, nec tamen nisi fel & acetum ex inclementi Judæorum & Judaicorum militum manu acciperet.

LAMENTATIO IN CRUCE.

Eli, Eli, Lama Sabachthani.

IOHANNES.

ET audi ingentem Magistri clamorem. Conqueritur, quod desertus sit â Deo. Et si filius desertus est, quid mihi, quid reliquis exspectem? Apage te hinc, Johannes. Terra contremiscit: cœlum nigro velamine præ luctu tegitur: Sol radios ulterius impio mundo negat. Vale munde immunde. Ego quò abeam, nescio, & tamen abeo.

PETRUS.

SI quis eminentiorem locum conscendit & indè clamat & loquitur, signum est, quod singulare quiddam prolaturus est, ut â prætereuntibus vel adstantibus audiatur. Sic etiam Dominus noster, cum locum quoq; ascendisset sublimem, & elevatus esset in cruce, quæ facta est docentis cathedra, ea elocutus est verba, quæ cum ex alto prolata sint, multa continent singularia, & attentione omnium dignissima. Consummata autem jam sunt omnia; Et hoc ore divino, cum jam jam animam suam Deo patri commendaturus esset, protulit. Imò consummata sunt omnia. Consummata est hostilis tyrannis. Judæi enim hactenus varijs in eum sævierunt modis, vinculis eum astrinxerunt, flagellarunt, spinâ coronârunt, crucifixerunt, diviserunt vestes, evomuerunt multa convicia, & tandem, ne quid deesset, aceto etiam potârũt: Consumata sunt omnia vaticinia Prophetarum & Patriarcharũ. Jam caput serpẽtis cõtritum est â semine mulieris. Jam Siloh ipse lavit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suũ. Jam vicit leo

de tri-

de tribu Juda. Consummati sunt omnes veteres typi. Uti enim quondam serpens æneus exaltatus est in deserto, ut eius intuitu â morsu & veneno ignitorum serpentum sanarentur Judæi: Sic jam exaltatus est Filius hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Consummata est ipsius passio acerba. Consummatum est eius ministerium & vita in his terris peragenda. Consummata est nostra redemptio. Consummatum est tandem divinum decretum. Tibi itaque, Domine, sit gratia, quod consummaveris hostilem sævitiam, prædictiones, typos, passionem, ministerium, nostram deniq; salutem. Adjuva nos, ut & nos rectè consummemus nostrum curriculum, & tandem perducamur ad consummatum in cœlo gaudium, propter consummatum & sanctissimum tuum meritum.

MARIA.

SI jam lacrymarum tepidi imbres ora genasq; uberrimè & indefesso lapsu rigent, si desistant nunquam, nec defatigentur in disrumpendis objectis molibus, non tamen satis animi mei dolorem, cui jam indulgendum est, contestari valent. Anxietas enim magna pectus hoc conturbat, & animus hic meus undique agitatur tristitia. O me mîseram! ô me infelicem! ô me penitus perditam, afflictam, atq; infortunatam! Nunc nunc animam meam gladius ille penetravit, de quo jam antea Simeon mihi vaticinatus est. Domini enim ac unici, sanctissimique & innocentissimi filii mei abominabile & horrẽdum supplicium his oculis meis ipsa vidi. Nec ego solum, sed & universus populus â longis seculis promissum Messiam amisimus. Et de quo tot tantæq; promissiones factę sunt, hic jam

occubuit,&à Judæis est crucifixus. Dolor sanè, quò affecta sum, est incredibilis & inexplicabilis. Vulnus animo meo inflictum nullo unquam medicamine est cõsolidandum. Fella hæc sunt & colocynthide amariora. Vah quid cogitatis stolidi, impii, mentisq; inopes Judæi? Quo quæso jure hunc meum Dominum nullius criminis reum Pilato tradidistis interficiendũ? quænam causa nos impulit? quid age meruit unquam? Nihil sanè. O impietatem maximam! Mihi sanè hæc perponderanti meritò defluunt lacrymæ. Nec quamvis vellem, sedare fluctus lacrymarum valeo. Hic enim Dominus meus, verus veri Dei filius, verus ille Messias Judæorum, damnatur blasphemiæ, judicatur reus mortis, percutitur & illuditur, ut nebulo longè omnium sceleratissimus. Vaticinare, inquiebant, nobis Christe, quis est qui te percussit? Gloriaris te scire futura: jactas te cognoscere occulta: quis igitur est qui te percussit? Ecce verò obedientiam Christi in ferendo tanto dolore! Nam cùm tam contumeliosè irrideretur, & palmis percuteretur, non solùm non injuuiam ultus est, sed ne verbis, imo nec cogitatione quidem restitit sese percutientibus. Ite ergo meæ lacrymæ, & audaci saltu transilite, & disrumpite objectas moles! Pergite ô lacrymæ, genas torrentibus sulcare, calore purpurare! Secate glaciales oculorum nubes! fluite oculorum meorum ubera mœstissimo hoc rore distenta! Fundite lacrymas oculi mei, & quas fuderunt, oculi mei, bibant ora lacrymas. Magni patris magna proles, sanctissime Jesu, dulcissime fili: Supplicium non tibi, sed sceleratissimis debitũ passus es. Non exhorrescitis Cœlum, Terra, Maria? & tu tellus quousq; non subduxisti te? Vidisti hæc Sol, nec erubescentes retraxisti radios, pudore suffusos? Ludibrio hic habetur, qui te creavit Deus. Sed quid queror de his? O dolor, quo me rapis? quod statuis mihi rerum enarrandarum princi-

principium? quò tendis? O quanta fuit patientia tua, cum columnis alligatus flagris turpiter es concisus! Rem incredibilem! Hactenus flumina, nunc etiam lacrymarum & sanguinum deprecor maria, ut tota jam ego fiam lacryma una, ipsaque adeò hæc mea tristis anima solvatur in lacrymas. Parum est aqueas in hoc scelere dare; nisi pro lacrymis sanguinem fundant oculi; & si singulæ venæ tanquam singuli oculi in sanguineos prosiliant fontes, parum dedero. Fundite meæ venæ, factæ jam mihi oculi, quicquid abditum latet fibris, quicquid reconditum extima tegit cutis! & quis nisi amens contineat lacrymas? quis non liquescet in illas, tanquam nix Sole medio, tanquam cera fornacibus, ignibus glacies? Et in dira domini mei laceratione non flere barbarum est, beluinum est, humanum nõ est: inq; tanta tamq; ingenti ac contumeliosa flagellorum atrocitate ac devisceratione lacrymas sistere, â rupibus, nõ ab homine sperari potest. Nam quod gravius supplicium etiam in ultima barbarie excogitari potest, quam quo in Dominum meum sævitum est? Beluæ quidem mansuetudinis eruditione sæpius præventæ obliviscuntur non rarò feritatis suæ; ita mansuescit sæpius Leo, aliàs animal ferocissimum: ita mores bestiam relinquunt. Judæos autem nulla prævia Christi mei benignitas, non beneficia collata, cœci reluminati, leprosi purgati, mortui vitæ redditi, multaque alia miracula divina mitigant, non olim proscissum mare, siccoq; itinere transmissum, non Ægyptius exercitus undarum concordi regressu oppressus, non tot Prophetarum oracula, non iter Magorum, non miracula nativitatis, non annunciatio Angelorum, non munera reliqua, efferam, crudelem, ac immanem Barbariem & Tyrannidem frangere potuerunt, quo minus omni verberum feritate sævirent in innocentem carnem. Ad quæ non impellis

mortales odium, ut humana mente deposita, ferinam induant beluitatem? Pergite ô lacrymæ; quæ mora vos tenet? disrumpite vincula: rigate ora vultumq; madidum. Sed quid prosunt hæ lacrymæ? Possuntne molem immensam dolorum levare? Vis cerebri omnis in lacrymas liquet, & udo lumine prægnantes ejaculatur aquas. Nec tamen lacrymarum satis est, licet heres centeni luminis esse velim; nec spiritus Austri pulmones animi flentis animate potest, ut illi sint satis ad gemitus. O scelus nefarium! Si innocens tam sæva plagarum feritate dilaniatur, quid exspectare aut timere debet reus, & sceleribus, variisq; peccatis tanquam montibus rupibusq; oppressus, criminibusq; tanquam Oceano immersus, & libidinibus tanquam Ætneis montibus inæstuans? Sævitur tam horribiliter in viridi ligno: quid fiet in arido, in arente, in exsuccido? Ite ergo meæ lacrymæ: scelus hoc Judæorum immane omnibus adhibitis nervis deplorate: Nec enim satis fuit blasphemiis, verberibus, flagris in innocentem sævire: sed præterea de spinis coronam plexam imponunt capiti filii mei, Regemq; propudiosis gestibus salutant. Quæ hæc fuit corona, dilecte Jesu? Regiumne Diadema? & tamen Rex es tu. Sed quis Theatri huius vastissimi populus Regem unquam suum coronavit spina? auro & gemmis pretiosis, purpuraq; & sindone Reges cingi solent, non carduis, non diris spinarum spiculis, ut passim sanguinis purpurei rivi in genas, in pectus, in tergum copiosissimo fluxu præcipitentur. Lacrymæ ubi estis? Videtis hæc oculi, & statis? Salite fontes oculorum, prorumpite vos rivi lacrymarum; Alta fundite flumina, repagulis omnibus ingenti tristitiæ meæ magnitudine tanquam ariete revulsis. Sed quid queror de his? majora sustinuit. Crucifixus enim est, & morti traditus. Vidi enim ipsa oculis meis hoc abominabile supplicium, & jam non opto mihi lon-

hi lon-

hi longiorem vitam. Moriar! nam quis prudens sine animo vitam optet? Mortua hîc vita mea est. Fundite divite qua, qua fluxu lacrymas; ô nubes densissimæ! Ubi quæram salutem animæ meæ? Ubi desiderium meum inveniam? Dic mihi alme pater! Spes enim mea, Fiducia mea, gaudium & corona gloriæ meæ, amor meus ubi mansit? Deliciæ meæ ubi sunt? Auxilium meum ubi est? Pendet in cruce. O me infelicem? Perii, Ubi sum? & tu ubi es, spes mea? Langueo: ubi est languoris unica medela mei? Quo mihi reseratio fasciæ pectoralis, nisi tu amor meus involes in hoc pectus? Langueo. Quid arteriam tentas aut observas animam lento suspirio gravem? tuo solius felici pulsu, animatione tua, redit hæc anima. Langueo: & jam frigus obsedit artus. Quid admoves ignem? Nullus ignis frigus hoc pellet, nisi ignis tuus, quo incalesco solo. Langueo: ubi es, qui solus levare languorem potes? Inimica languenti mora, Moriar, ut tu, & ultimam emittam animam: sed quis recipiet hanc meam animam, cùm tu, propter quem emissa est, haud ades. Langueo: & jam jam ultimum spiritum traho: & tu abes? Ubi sunt miserationes tuæ? O veni! non enim es mortuus, sed vivis, ut Deus. Veni igitur spes mea perennis: nam si morior te absente, quid inscribam monumento? Hoc unum, Sine vulnere jaceo, languor condidit, dolor peremit. Durum mortis genus! O si generosius, nec tam inglоria occumberem morte! Nunc langueo, & sine vulnere morior. Ignavum mortis genus. Verum ubi es, ut vel perimas vel reficias? ô si veneris! Ego te dimitam, aut elabi patiar? ante moriar. Nec te mihi elabi patiar, nec te dimittam. Sed si abis, ego te sequar. Duc me tecum: comitabor, quocunq; terrarum per dura & mollia, per aspera & lenia, per prærupta & plana. Veni! Propera! Dilecte Jesu. Langueo valdè: ubi es, amor meus? Ubicunq; enim es, meus es: te enim genui:

ñui: quo fugis? Quousq; tandem? permitte te capi: aut tũ cape me. Beata, si te cœpero! Heu quò raperis mea vita? ô mea salus, cur deseris me? Vis me vivere sine te? Morior: nam tu, mea vita. Vis lassam trahere animam sine anima? tu mea vita, anima tu mea es. Aliam nec volo nec novi. Quare si tu mea vita moreris, morior & ego: vivo si vivis, Et tamen tu moreris, ut ego vivam. Tollitur nimirum vita mea, anima mea, ut ego vivam. Verum quæ mortis tuæ causa? Ego illa & reliqui homines. Homines non semel mortis rei: & tu moreris. Perpetratores scelerum illi: & tu luis. Et tamen nisi tu moreris, moriuntur illi: vivunt, si moreris. Nobilissime Phœnix, è cujus cinere vita nascitur nobis: qui temetipsum funeras, renovas nos natali fine decedens atq; succedens iterum Phœnix. Immensus hic amor est, nullis circumcinctus terminis, â fine ad finem protensus, qui animæ suæ umbram, spiritus sui auram, oris sui operam noluit æterna sepeliri morte. Noluit manuum suarum operam, ingenii sui curam, afflatus sui animam, liberalitatis suæ heredem in æternum destituere interitum. Voluit proinde mori, ut morte sua nobis immortalitatem, qua carebamus, restitueret. Jacebamus in inerti somno, donec morte sua nos à somno excitaret. O amor! ô ca[illegible] mors tua! Non viveret homo quispiam, nisi tu ante gustasses mortem! Sed quis hominum agnoscit? Nemo sanè: & hic tamen propter peccata totius mundi flagellatus, crucifixus, ac mortuus est, ut à morte, diabolo ac inferno redimeret ac liberaret. Vos impii, qui Regem vestrum non agnovistis, quid fiet de vobis in ignibus æternis? in irrespirabili, inextricabili, inenatabili profundo? Ubi corpora uruntur & durant, erogantur & reparantur. Ubi erit ploratus in ævum, ubi erit fletus sempiternus. Heu quam opacus vobis & irremeabilis campus! Tortura perpetui doloris ubi est;

Vermis

Vermis ubi scelerũ semper vestra præcordia rodet. Hunc locũ omnes jure possidebitis, nec liberatio erit unquam vobis; Balneũ ibi vestrum erit in sulfureæ paludis stagno. Mihi autem & omnibus credentibus Crux, Sudor, Lacrymæ, Sanguis, Vincula, Catenæ perdilecti mei in æternum proderunt. Spero enim me levandam onere, amissumq; reparaturam. O pascar & in æternum fruar his deliciis! æternum habitem in sinu tuo, tuq; in meo, jungarq; tibi non dissociando æternum nexu? Tibi confido, tibi vivo, moriorq; tibi, cum ultimũ mors vitæ meæ claudit diem.

CENTURIO.

VAh quam miserabilem tragædiam jam effrenes peregerunt Iudæi! O spectaculum miserum atq; acerbum! O magnũ atq; intolerandum dolorem! Quis non exhorresceret, ejularet, atq; clamaret, quod, qui peccatum non novit, inter peccatores medius pendeat? Hujus quis cladem noctis, quis funera fando

Explicet, aut possit lachrymis æquare dolorem?
O miseras hominum mentes, O pectora cæca!

Quis enim non indoleat, si cogitet justum ab injustis, innocentem à nocentibus, sanctum à sceleratissimis, non nisi invidià stimulatis, furiis agitatis, odio excæcatis, captum, damnatum, ignominiosa fædæ crucis morte affectum esse? Quis inquam non ex animo contristetur, qui ad mortem sancti hujus viri, quem, uti testatus est, oportet esse verum DEI filium, omnes creaturas contremiscere, confundi, perturbari, nec loco suo consistere videt? Nunc, nunc res ipsa docet, & certa rerum testis experientia ostendit, nos nequaquam à JESU NAZARENO aut deceptos fuisse aut seductos, sed ipsum esse verissimè promissum Messiam, ac filium Dei viventis. Cæcis visum restituere, surdis auditum, mutis linguæ usum, mortuis vi-

tam, quæ demum est, & cujus age potestas? Id verò non semel fecisse hunc vidimus virum, qui jā mortuus è cruce pendet. Qua de causa pēdere illinc voluerit, equidē ignoro; se verò facilè manibus furiosorū subducere potuisse, omninò credo, ut qui omnes, qui gladiis, hastis, fustibus armati à Sacerdotibus, Pharisæis, Scribis, & Senioribus missi erant, ad ipsum conprehendendum, ligandum, & è medio tollendum, uno verbo prostraverit, quiq;, ut audio, palam, dum comprehendebatur, confessus est, se patrem suum rogare posse, ut vel duodecim angelorum legiones cælitus in subsidium mitteret; Sed nolle se hoc fieri; mori velle; & patris cælestis voluntatē exequi. Et à morte quidē absorptus est, mortuusq; est, si faciē eius adspexeris, tanquā homo ab omnibus spretus, abjectus, damnatus, miserisq; modis laceratus. Si verò, quid ille ipse, qui mortuus est, præstiterit, accuratius perponderabis, non poteris non facere, quin mecum exclames: Verè hic est filius Dei, ad cujus aspectū jam terra & cælum contremiscunt; cujus vicem omnes creaturæ dolent; cujus virtute cœli cōmoventur; Sol in ipso plenilunio deficit. Næ dirum spectaculum! Tellus contremiscit; disrumpuntur petræ; Saxeta ingentia divulsa abyssum ostēdunt; Sepulcra defunctorum adaperiuntur; mortui resurgunt. Ah miser ego, ubinam gentium sum? Si filius Dei patitur, & moritur, quid ego, qui vitam variis sceleribus & iniquitatibus coinquinavi? Miles enim sum, & inter milites Centurio. Memorq; Ovidiani dicti:

Nulla fides, pietasq; viris, qui castra sequuntur,

nihil hactenus me egisse fateor, nisi quod cædibus, rapinis, incendiis, scortationibus actū est. O me miserum! Cui qui exitus manebit, si sanctissimus ita affligitur? Jam scelera mea ob oculos hosce posita me angūt & torquent: tum conscientia mea peccatorū stimulis læsa, inquietissi-

ma

ma est; Sarcina peccatorũ & iniquitatũ mearũ intolerabilis, humeris meis impar, me onerat. O fraus! O facinus! O scelus! turpiter aberravi à via salutis. Et nondum finis: nam ille, qui totũ mundũ seduxit diabolus, ut Judæi nostri loquuntur, & hic ipse Jesus sæpius docuit, ille, qui omnes à Deo creatos in pernitiẽ præcipites egit & deturbavit Satanas, qui scelerũ omnium fraudũq; magister & autor est; serpens ille antiquus in me jacula & tela ignita, stygioq; veneno illita conijcit, peccata mea in catalogum redacta mihi ob oculos proponit, & regno Dei me exclusum asserit. Quis me eripiet ex isto mortis periculo? Jam ipsa salus, si vellet, succurrere nõ posset. Sed quid dico? Ipsa salus jam extensis brachiis è cruce me prospicit: Et HUC, inquit, RESPICE. Venite omnes, qui laboratis & onerati estis: Ego reficiam vos. Pro nobis enim, ut sæpius loquentẽ audivi, (sed ut tum negligerẽ, quæ audiebã.) Pro nobis enim hæc vulnera, hæc flagra, hanc mortẽ sustinet. Unde ergo & apud quem quæram remedium, nisi apud te JESU CRUCIFIXE, SALVATOR MUNDI, tam gratiosè & me, & omnes, qui pœnitentia ducuntur, aspicientem? Quanta & qualis, ò mundi Salvator, est tua misericordia & clemẽtia! Tuo aspectu & nutu, tua gratia & merito iterum refocillor, & cor anxium, ne deficiat, confirmatur. Tu me erigis, & signa tuæ misericordiæ & clemẽtiæ mihi exhibes præsentissima. Considera, ò anima mea, oculos ipsius auro candidiores, qui cor meũ silice rigidius & durius emolliunt & sibi adhærere faciunt. Intuere vulnera, quibus ego dignus essem, sed quæ sibi propter me infligi passus est. Ecce mortuũ Deum pro mortali homine! Ecce, ut reconciliemur patri per filium, qui à patre defeceramus per peccatũ, justum pro injustis cruci affixũ, & è latere hastâ impiâ confosso aquam & sanguinẽ, nescio cujus mysterij indicia, emittentẽ! Omnes semper peccatores

ad se recepit, nec me reiiciet. Mariã Magdalenã, Zachæum Publicanũ, alios, non fastidiit. Nec me scio contemnet. Propensus eius erga homines animus satis patet, & ut magis pateret, cor sibi aperiri passus est. Qui ergo me destitueret solum, qui me à se repudiaret, quem peccatorum omniũ pænitet, & qui ad Deũ sincero pectore confugio? Tu, ò Deus meus, uti condoluisti doloribus Mariæ Magdalenæ ante pedes tuos lachrymarũ flumina profundentis, ita quoq; miserere mei. Adjumentum mihi in hoc malo subministra, & peccatorũ meorũ ne memineris. Absconde illa in sanctis tuis vulneribus: sanctissimâq; illa sanguinis unda, quæ è pectore tuo profluxit, culpas meas elue. A te omnia bona permanant: tu es veritas, via & vita: extra te nulla est salus. O JESU fons benignitatis, sola spes æternitatis; non vis mortẽ morientum; vitã cupis pœnitentum. Tu peccatoribus resipiscentibus gratiã & misericordiã, delictorumq; remissionem jurejurando gratis promisisti: Sis igitur & mihi propitius, & me, qui inter peccatores primum locum obtineo, primum recipe. Ne memineris Domine peccatorum juventutis meæ, petulanti transactæ malitiâ. Ne in judicium servum tuum abripias, corã quo neq; ullus viventium consistit, neq; ipsi cæli puri sunt. Quod si tibi allubescet peccatis nostris dignam infligere pœnã, quis sustinebit? Renova in me ò Deus meus gratiã tuã, ut ab ea producar in omnem veritatem. Fac me verè pœnitentem & peccatis morientem: sic ego, quantum in me erit, imposterum ad vitã sanctam agendã, melioremq; militiã militandã omnes nervos intendam; & seculo huic, omniq; vanitati nova pietate renunciabo. Sic parvi faciam Pontium Pilatum, Herodem, Caiphã, lictores & milites Iudæorum. Exaudi Deus preces meas, & converte me ò Deus, ut ad te convertar; obliga animæ meæ vulnera, ut saner: doce me, ut erudiar. Et

quem

quem tu filium propter hominum peccata morti tradidisti; eundem propter nostrā justitiam eâ vi, quâ omnia tibi subjecisti, exuscita.

EPILOGUS.

Quam detestandum quamq; horrendum sit vitium ingratitudinis, Illustris ac Generose Domine, Viri admodum Reverendi, Exellentissimi, Clarissimi & Amplissimi nō modò veterum Historiarum series, sed etiam præter quotidianam experientiam, sapientissimus ille Salomon testatur, cum malum de domo ingrati non recessurum ait: Quô ipsô satis manifestè ostendit, Deum ipsum ingratis gravissimè esse infensum, eumque, qui cujuspiam beneficiis affectus, ea statim immemori obliterat animo, sese omnibus posthæc beneficiis indignum reddere. Ne igitur & nos, si acerbissimæ passionis & mortis σωτῆρος nostri memoriam sicco, quod ajunt, pede præteriremus; notam ingratitudinis incurramus, Clarissimus Dominus Rector, Præceptor noster plus quam filiali amore prosequendus, nos jussit, ut de exantlatis Christi in passione doloribus, pro ingeniolorum nostrorum tenuitate, in hâc præcellentissimorum virorum coronâ, publicè verba faceremus, illosq; gratâ mente recoleremus. Cui cum refragari fas non sit, lubenter declamandi exercitium in nos suscepimus, præsertim cum id à nobis & dignitas & utilitas hujus historiæ Evāgelicæ requirat. Hactenus enim, Auditores, percepistis, quod non purus putus homo passus sit, quod sæpè in sacrarum literarū pendectis factum legimus, ex quibus certum est, quod non rarò vel sanctissimi viri gravissimas calamitates, miserias, persecutiones & exilia experti fuerint. Prodeat enim Vir ille secundū cor Dei & voluntatē, Rex & Propheta David; Nonnè cum gemitu ita dicentem audiemus? In flagella paratus sum. Prodeat patientissimus ille Iobus. Nonnè cum dolore exlamantem illum hæc audiemus verba? Calamitas mea gravior apparet, quā arena maris. Quid de Protomartyre Stephano commemorem? Qui tamen læto animo ad supplicium ibat, & ut cum Poëta venustè ac eleganter canente loquar,

Ibat

Ibat ovans animis & spe sua damna levabat.

Non, inquam, hominis vulnera, passionem, mortem descripsimus, sed ejus, qui est verus Dei Filius, qui est Rex ac Dominus noster, Pontifex maximus, noster Mediator, Salvator, Diaboli Destructor, vitæ Instaurator, humani generis Autor, nostræ diliciæ atq; Salus. O admirandum misericordiæ divinæ mynisterium! Rex Regum & Dominus Dominantium pro servis; Creator pro Creaturis; vita deniq; ipsa pro nobis miseris hominibus & æternâ morte dignis ignominiosissimam mortem in cruce exantlavit. Si pastor, ut oves suas ex lupi faucibus redimat, seipsum illis obijciat, fidelis est æstimandus, quemadmodum David seipsum pro ovibus redimendis rugienti Leoni & ursæ prostituit, illosq; occidit; Si Dux patriæ pro militibus suis caput suum certissimæ morti devoveat, ut de Rege Codro memoriæ proditum est, quòd pro exercitu suo mortem subire acerbissimam non recusaverit, heroicam hanc fortitudinem, pietatem, caritatē jure meritoq; ad cælum evehes; Si Sponsus pro Sponsa gravissimum vitæ discrimen non detrectet, quemadmodum Rex Tygranes, cū hostis illi & amatæ Nymphæ necem minaretur, memorabile hoc dedit responsum, se pro Sponsa mori malle, quam superesse solum, cum stupore eam fidelitatem & amorem admiramur: Quanto magis Rex noster Cœlestis fidelis est æstimandus, quanto majore ejus amor & φιλανθρωπία admiratione digna censenda, si seipsum pro nobis, tanquam pro ovibus suis, tradidit, non nudus Homo, ut David, Codrus & Tygranes, sed homo & Deus in una personâ, omnium rerum Conditor, humani generis â peccato & morte reparator. Non adeò mirum est, si homo pro homine, mortalis pro mortali pericula subit: Verum hoc magis admirandum, quod verus DEI Filius pro nobis miseris hominibus rigidissimos mortis cruciatus sustinuit. Ingens profecto beneficium hoc est, quod Christus nostri loco, omniumq; hominum causâ morti se tradidit; sed longè ponderosius passionis & mortis Christi opus apparebit, si paulo accuratius, Auditores optimi, ipsa παθήματα Christi perpenderimus. Ille enim per totum totius vitæ curriculum, & in corpore

pore

pore & in anima permulta imo innumera passus est. Considerate quæso ejus vitam, meram invenietis Paupertatem, Persecutionem, Exilium, Famem, Laborem, Tentationem diabolicam, amicorum Perfidiam, inimicorum fraudes & dolos, imprimis vero in passione Calumniam, Sitim, Contemptum, Vulnera, Verbera, Irrisionem, Vincula, Mortem deniq; ipsam: Caput ejus baculis contusum, Spinarum perfodiebatur aculeis; Faciei ejus Sanctæ colaphi impingebantur, imò totum corpus vulneribus sauciabatur. Quæ omnia quanquam magna sunt, attamen multo majores & intensiores cruciatus anima ejus experta est. Ab una parte gravissima nostrorum peccatorum moles, maledictio legis, & vis infensissimi humani generis hostis Diaboli; Ab alterâ parte ardens Patris ira ipsum pressit. Unde non tantum sudor sanguineus ex sanctissimo ejus corpore defluxit, sed & copiosissima unda sanguinis largiter ex capite coronâ spineâ compuncto, & ex vulneribus toti corpori inflictis emanavit: Sicut enim uva in torcular conjecta onere superimposito frangitur, & undiq; liquorem effundit; Ita corpus Christi pondere iræ divinæ & gravitate peccatorum nostrorum pressum, liquorem sanguinis undiquaq; effudit, adeò sanè, ut gemebundus hac lamentabili voce exlamaret: Tristis est anima mea usq; ad mortem. Hæc, Auditores, quantacunq; sunt, quæ certè maxima sunt, non pro angelis, qui ista passione non indigent, sed pro nobis, & universo genere humano patienter sustinuit: Paupertatem passus est, ut nos ditaret; Persecutionem sustinuit, ut nobis securitatem donaret; In ignominiosissimum damnatorum locum ejectus est, ut nobis gloriosum conciliaret domicilium; Ille famem est expertus, ut nos æternum epularemur; Ille labores pertulit, ut nos perenni quiete potiremur; Ille tentationem diabolicam fortiter sustinuit, ne nos suis tentationib9 illaquearet Diabolus; Ille vulneribus est percussus, ut nos sanaremur; Ille catenis ligatus, ut nos liberaremur; Ille luctari voluit cum morte, ne in agone mortis nos deficeremus; anxietatem ille gravissimam & tristitiam usq; ad mortẽ sustinere voluit, ut æterna lætitiæ in cœlis participes nos redderemur; â populo Iudaico captivus

duci

duci voluit, ut nos peccati vinculis captos & in æternã damnationẽ præcipitandos liberaret: Imò mortem ipsam sustinuit, ut nos vitã haberemus. Merito igitur tibi Christe, cœlestis Patris imago, gratias, quas mente concipere possumus, maximas, agimus, quod nos miseros peccatores, & dãnatos homines citra nostra opera, merita & dignitates passione tua redemisti: O æterne Rex! magna est passio tua, cruciatus tui graves sunt, mors tua amara & ignominiosa est, caritas ineffabilis, quâ nos calamitosos homines Patri tuo dilecto reconciliasti. Tu pro nobis in monte Olivarũ præ magno mortis terrore, sudorẽ, quasi sanguinis grumos, in terrã decidentes, sudasti. Tu pro nobis ab omnibus discipulis tuis relictus in manus Iudæorũ temet ipsũ ultrò tradidisti, qui te captum ab uno judice ad alium sine commiseratione deduxerunt. Tu pro nobis falsò accusatus; damnatꝰ; ignominiosè consputus; turpiter derisus; & contumeliosè pugnis in faciem percussus es. Pro his & aliis tormentis ac cruciatibus tuis laudes & gratias tibi agimus sempiternas; atq; oramus te, ne passio tua sãncta nobis irrita & inanis fiat, sed ut ex ipsa consolationes dulcissimas hauriamus, & memores illius perpetuò de ea gloriemur, ac tandem vitam æternam per eam consequamur. Deniq; & vobis, Illustris ac Generose Domine, viri admodũ Reverẽdi, Clarissimi, Excellentissimi, Amplissimi, & Consultissimi, gratias ex intimis nostri cordis visceribus agimus, quod nostrum declamandi exercitium singulari vestrâ præsentiâ condecorare, magnoq; silentio attentas aures præbere volueritis. Quod si quid minus subtiliter, minusq; ornatè dictum actumvè vobis visum fuerit, id ingeniorum nostrorũ tenuitati, & in his artibꝰ parùm versatæ exercitationi adscribatis, atq; studia nostra autoritate, consilio & auxilio vestro promoveatis, summoperé rogamus: Nos vicissim pro exhibito isto favore quovis tempore nostram observantiam, cultum & officia, qualiacunq; illa etiam sint, offerimus.

DIXI.

STETINI,
Typis DAVIDIS RHETII.

129.